DE EO QUOD STOICI

NATURAE CONVENIENTER VIVENDUM ESSE

PRINCIPIUM PONUNT

DISSERUIT

W

GUIL. GIDIONSEN

PHIL. DR.

LIPSIAE MDCCCLII.

TYPIS ET SUMPTIBUS BREITKOPFII ET HAERTELII.

Φιλοσοφεῖν ἄνευ μαλακίας.

RATIO CAPITUM.

Introductio.

Expositio.

§. 7. p. 52. Sententiae posteriorum quibus abjecta majestate ista in ipsis selectionis et rejectionis officiis finis constituitur.

Examinatio.

§. 8. p. 56. Naturae convenienter vivere quam habeat veritatem 1) ad sententiam universalem (probatum ab omnibus sanae mentis hominibus) 2) ad peculiarem e Stoica naturae interpretatione conformatam. Pietas soluta, sapiens totus in se conversus. Intelligentia a reliquis naturae elementis abstracta ad vitae fructum e suis copiis producendum parum potens. Denique idea generis ab his (ut ab aequalibus) frustra affectata.

---

§. 1.

In litterarum eruditione quum sint multa et magna, quae nostra aetas superioribus melius instituerit, tum illud quoque magni faciendum censeo, quod in generis humani memoria repetenda haud pauca temporum spatia, quae antea contemta ac paene occulta jacuissent, vel diligentius explorari vel verius judicari coepta sunt. Quae enim ut a meliorum temporum laudibus inclinata nihil praeter ipsas omnium bonarum artium ruinas exhibere inveterata adhuc opinio fuisset, ea ne ipsa quidem sua ac propria laude carere reperiuntur, ut jam genus mortalium a supremo rectore nullo tempore desertum vel neglectum certius confidere et qua via ad summum illud bonum, quod semper petivit, per gradus adducatur, clarius suspicari mens audeat. Quod ut ad eam aetatem referamus, in quam nobis descenderé in animo est, apud Graecos si quasi quidam cardines rerum faciendi sunt, post Aristotelem et qui ab illo institutus ad agendum accessit Alexandrum nihil fere magni vel quod superiorum praestantiam adaequaret, in lucem prodiisse quis est quin e traditae istius existimationis sententia acceperit? Ac profecto, quorum alter omnes quos superiores aperuissent scientiae fontes unius quasi oceani circuitu amplexus, alter, quo fortissimus quis-

que inter antiquos intendisset, id cum utriusque terrarum orae salute exsecutus sit, possunt illi quidem id quod Graecorum populo propositum fuisset effecisse neque posteris quidquam reliquisse videri, nisi ut quae rerum humanarum sors est a fastigio illo ad mediocritatem rursus et humilitatem descenderent. Quod si ex omni parte verum esset, quid vel principum per ultima illa Graeciae tempora rebus gestis vel Stoicorum Epicureorum quique eadem aetate exstiterunt philosophorum rationibus tristius esse posset et miserabilius? Aut quis est qui in historia persequenda a desperatione animum defenderit, inter istas altitudinis et humilitatis humanae vices jactatus? Sed nimirum continuus quidam terrestris hic qui genus humanum exercet labor est neque si qua aetas illustrium ingeniorum parum tulisse reperitur, idcirco nihil omnino profecisse putanda est. Quale autem illud sit, quo alterius aetatis praestantiam altera compenset, ad plantarum ego similitudinem retulerim, quae quamdiu virent et florent maxime illae quidem aspicientium oculos et animos capiunt, quum autem florum honore nudantur tum quae multiplicem fructum ferant semina dispergunt. Eodem profecto modo ne ad alia ejusdem rei exempla digrediar apud Graecos quum antiquiorem omnem aetatem ingeniosiorem tum ulteriorem illam, de qua quaerimus, fructuosiorem fuisse reperies. Atque rerum gestarum quidem quas illa saecula exhibent quis hodie est, qui nesciat hunc fuisse eventum et quasi fructum, ut quam Graeci peperissent humanitatem ea in orbem terrarum proseminaretur? Philosophorum vero quae eadem aetate exstiterunt sectae quo nomine Platone et Aristotele inferiores fuerint animadvertere et notare omnibus in promptu est; nostrae autem quae esse debet in judicando aequitatis hoc erit etiam quid proprium habuerint quaerere et agnoscere;

quod si quid recte judicamus in eo quaerendum est, quod quum quasi rem a senatu ad populum ferrent multo amplius forum habuerunt quod sapientiae consiliis dirigerent et commoverent.

Itaque si omnino ulla historiae pars quaesita commendatione indigeret ne his quidem quod animos traheret deesset. Quarum enim sectarum si quid iis quae modo diximus veri inest ea fuerit gravitas, ut non amplius scholarum auditoribus contentae totis ut ita dicam saeculis quasi quaedam fermenta voluntatis adderent, earum rationes cognovisse quantum interesse debeat temporum momenta recte aestimaturo, nemo non videt. Accedit quod quum eam vim atque auctoritatem ad temporis diuturnitatem emetimur adeo ad eum quem deus ipse rerum humanarum constituisse videtur tanquam cardinem deducimur, quum inter ultima antiquae sapientiae lumina novi ac prorsus divini solis faces surrexerunt. Nisi quod ceteras Stoicorum secta dignitate tanto superavit, ut quum de tanta illa tamque diuturna auctoritate agitur soli in numerum reponendi esse videantur. Quod si ad sensum popularem causa revocabatur, quanta esse debebat eorum commendatio, qui se ut Horatii verbis utar virtutis verae custodes rigidosque satellites esse voluerunt! Quantus eorundem apud Romanos honor! Qui quum omnino philosophiam a Graecis adscivissent ceteras sectas tantum fere eruditionis ostentandae causa attigerunt, hanc ita non solum probarunt, sed cognatione quadam animorum ducti suam fecerunt, ut una haec ad ipsam hujus populi indolem nata atque accommodata esse videretur. An si qui fuerunt qui Epicuri praecepta imitarentur eos ad Romanam virtutem propius accessisse dicemus? Quin illo ipso saeculo, quum Neronis et Domitiani saevitia respublica exstincta est, haec secta non paucos genuit,

qui antiquae virtutis memores et adversus fortuita firmi irruenti pravitati obsistere auderent; neque ulla integritatis ac probitatis vox illo saeculo exstitit, quin eadem Stoicae altitudinis speciem quandam et similitudinem retulerit. Quid quod etiam inter Christianae religionis primordia simul atque antiquarum rerum ruinas vim suam atque auctoritatem retinuerunt? Nam dum in pejus jam omnia ruunt et plurimorum animos sive desperatio sive melioris aetatis futurae spes occupat, diu fuerunt, qui hanc sectam pro uno malorum solamine amplecterentur. Quanti igitur Stoicos fecerunt Augustinus et ceteri Patres! Quos non solum imprimis dignos censuerunt, quos impugnarent et refellerent, sed etiam prae ceteris quam proxime fieri posset ad diviniorem veritatem accessisse confessi sunt; quamobrem illos inter antiquae humanitatis quum altiori et diviniori cederet propugnatores primum locum tenuisse non immerito dixeris.

Horum igitur ad universam doctrinam enucleandam nondum satis parati tamen locum aliquem gravissimum et qui etiam in cetera lucem profundat explicandum nobis proposuimus. Quum enim de praecepto illo, quod fuit de vita ad naturam dirigenda quaeremus, id ipsum explicandum erit, quod quum ejus doctrinae quae est de vita et moribus tum universae principium et fundamentum fuisse reperitur. Nemo enim hodie est, qui neget quod satis apertum est, dum reliquae doctrinae partes traduntur magis quam formantur principalem quaestionem fuisse de vera virtutis et humanitatis specie. Ab hoc principio Zenonem quum a superioribus secederet profectum esse putamus; idem quoad omnino ejus secta viguit quum cetera jam dudum missa essent conservatum et defensum est. Quod si ipsi interdum secus profiteri videntur, quum ad physicam primas referunt, magis profecto externam

doctrinae compositionem quam internam partium gravitatem et verum momentum spectare dicendi sunt. Verum ea disputatio non minus difficilis quam gravis esse reperietur; quoniam ita factum est, ut principum Stoicorum et imprimis Chrysippi qui doctrinae suo ingenio perfectae omnes fere partes memoriae tradidisse videtur, scripta perdita sint omnia; mira illa quidem fortunae iniquitate; an istam librorum copiam divini illa ingenii vi et praestantia caruisse suspicabimur, quae Platonis et Aristotelis scripta per tantas temporum vices conservavit? Quidcunque causae fuit, nunc auctoribus utimur si rei gravitas spectetur levibus parumque dignis. Nam qui ex Stoicis ipsis adhuc in manibus sunt, Seneca, Epictetus, Antoninus, ii quamvis haud spernendi tamen seriorem quandam ipsius disciplinae formam et aetatem referunt, quum illa disserendi subtilitate relicta tanquam pro religione esse coepisset. Philosophantur illi, si hoc est philosophari, non scientiae studio ducti, sed ad animos componendos et contra temporum miseriam firmandos. Vitae fructum, non doctrinae perfectionem quaerunt. Quamobrem *δόγματα* ut est apud Senecam laudant quidem et commendant, ipsi vero omnia in *παραινετικὴν* vel vitiorum vel dolorum medicinam convertunt. Praeterea quum minus sectarum discrimina quam communia sapientiae bona sectentur neque si quid bonae frugis quodque animis remedium afferat apud ceteros invenerint aspernentur, sed suis admisceant, singulas quidem sententias permultas atque egregias promunt et omnino si dicere licet spiritum hominis Stoici bene demonstrant, doctrinae formam genuinam neminem edocebunt. Ex ceteris autem qui Stoicorum decreta memoriae tradiderunt eloquentissimus sine dubio M. Tullius qui in librorum qui sunt de finibus praesertim tertio illorum de fine bonorum h. e. de principio

ethicae sententiam uberius exposuit; fidei autem atque auctoritatis quantum illi in hoc genere tribuendum sit nostris demum temporibus ex quo omnino traditae magnorum nominum laudes addubitantur observatum atque intellectum est. De quo ne quis iniquius judicet neve tanti viri palmam injuria carpat minime negligendum est, id quod nos historici et critici esse statuimus, quam diversum sit ab eo, quod ille sibi in libris qui sunt de philosophia conscribendis proposuerit. Quantum enim non Romanis solum sed omnino posteris profuerit quum primus Graecorum sapientiam litteris Latinis mandaret quantaque id tum industria tum arte fecerit, quis est, qui laudibus aequare possit! Neque tamen idcirco, quid non habuerit, tacendum est. Atque de his quidem libris, qui sunt de finibus, acerrimus illum judex Schleiermacherus in eo libro quo philosophorum quae fuissent ad suam aetatem de vita et moribus rationes percensuit (Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre. Berlin. 1803. p. 157) severe accusavit, quod acumine pariter ac diligentia caruerit, subtiliores doctrinae rationes neglexerit, diversas tum sectarum tum singulorum ejusdem sectae principum sententias male commiscuerit, quae non intellexisset, verborum sonitu exornare ausus. Quod quatenus vere notatum sit, accuratius postea annotationes Madvigii confirmarunt, in quibus omnino eruditio et ars critica quid in hoc genere hodie profecerit, animadvertere juvat. In Cicerone igitur quod desideres, ut verborum ornatui minus, rerum subtilitati magis studuisset, id diversum erit in Diogene Laertio et Johanne Stobaeo, quibus ex ipsa tenuitate crevit auctoritas. Excerpta enim ex antiquioribus limata oratione prodiderunt, de suo nihil addiderunt. Utrum tamen fontes magis an rivulos adierint, multam dubitationem habet. Misera certe res est, quod

pro gravissimis in hac disputatione auctoribus restant scriptores si ingenia spectes ad tantum opus male praeparati. Uberrimam igitur descriptionum, formularum, praeceptorum copiam tradunt magis quam exponunt; contextum vero quo alia ex aliis, minora e majoribus, singula e toto apta sint frustra quaesiveris. Diversum praeterea ordinem sequuntur, eum, qui ratione aliqua satis nitatur, neuter. Nonnulla denique huc pertinent ex iis Plutarchi scriptis, quibus is Stoicorum decreta impugnare conatus est. Cui accidit quod multis quum ipsi non philosophi tamen philosophi aliquam doctrinam e communibus notionibus refellere conantur, ut quasdam sententias ex toto interpretandas singulatim arripiant et in reprehensiones vocent saepe immeritas. Reliquos si qui sunt qui obiter disciplinae Stoicae partem aliquam attigerunt non percensebo.

E recentioribus diu sectae Stoicae studiosis solae commendari potuerunt J. Lipsii, viri olim clarissimi, „manuductio, quam inscripsit, in philosophiam Stoicorum" et „physiologia;" hodie si non amplius satis faciunt, quid mirum? Quippe tum auctorum distinctionem quae singulorum dignitatem cautius perpendat tum judicii integritatem vel studio vel contemptione pariter liberam neque majus quidquam quam quod cujusque proprium sit simplici aestimatione quaerentem nostra aetas in hoc eruditionis genere postulat ac desiderat. Lipsius tanquam panegyrici munere suscepto quam ubique effundit admirationem et praedicationem eam e Stoicorum pietate repetit paene si illi fides Christiana. Omnino autem illa aetas majus quiddam philosophiam spectare quam admonitionem illam in qua Seneca paene totus versatur nondum comprehenderat. Reliqua quae antiquiori aetati debentur de hac re scripta Petersenius in praefatione fun-

damentorum quae edidit doctrinae Chrysippeae (MDCCCXXIX) enumeravit et percensuit fere omnia, ipsius autem librum totum in categoriis quae vocantur haerentem veros hujus rei fontes aperuisse neque ego affirmaverim et gravissimi judices exstiterunt qui negarent. Contra Schleiermacheri librum supra laudatum si in hujus quaestionis auctorum numero posuero erunt fortasse qui mirentur, quod quibus ille Stoicorum rationes attigit nec multa sint nec nisi obiter et generatim disputata. Sed ego sicubi ingenium agnovi vere divinum quale fuit in illo ejus minima quaeque vestigia tanti facio, ut meae omnis hujus operae et mediocritatis pretium facturus esse mihi videar, si quaedam ab illo divinitus observata denuo referendo ab oblivione vindicaro. Jam ex iis qui postea philosophiae historiam enarrarunt Ritteri tum in exponendo eruditio tum in judicando prudentia meis laudibus non indiget. Nihilominus quum singula haud pauca enucleanda restant, tum universa sectae vis et dignitas multam adhuc lucem desiderat, ut qui rem retractare omnesque ejus partes uno in conspectu denuo proponere velit operam minime inutilem suscepturus esse videatur.

§. 2.

Nobis autem unum doctrinae caput singulatim enarraturis primum circumspiciendum esse videtur, quonam illud in loco et quasi connexu disciplinae positum fuerit; quoniam hoc philosophiae proprium, ut singula ex toto demum recte intelligantur. Ducimur autem eorum quae Stoici de vita et moribus disputarunt campum perlustrantes in locum gravissimum qui fuit *περὶ τέλους*. Namque locupletioribus Stoicorum

doctrinae fontibus destituti dispositionis qualem fecerint materiae ethicae vix quidquam certo cognoscere poterimus praeter varios, quos fecerunt, locos sive *τόπους*. Plenius quidem eam dispositionem restituere conatus est Petersenius in l. l. p. 258—285; sed ita fecit, ut et multa admodum audacter sumeret nec efficeret quod verisimilitudine commendaretur. Nixus enim potissimum loco Senecae in ep. 89, collato cum Diog. Laert. VII, 84, tantum effecisse sibi videtur, primam ethicae partem fuisse *περὶ ὁρμῆς* et *περὶ παθῶν*, pro introductione ut ait praemissam; secundam de rerum pretio, tertiam de actionibus; secundam autem locos continuisse *περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν* et *περὶ ἀρετῆς*, tertiam denique locos *περὶ τέλους* et *περὶ καθηκόντων*, ad notionum dialecticarum, quas per totam disciplinam regnasse putat, legem ita dispositos, ut bona et mala substrati, virtus qualitatis, deinde finis aliquo modo se habentis, officia relationis locum teneant. Sed haec dispositio primum tantum abest, ut iis veterum testimoniis a quibus proficiscitur quaeque argumenti causa afferuntur demonstretur, ut ea ipsa prorsus invertat et negligat; deinde vero ne interna quidem verisimilitudinis ratione justaque partium et momentorum aestimatione commendatur. Nam primum hoc non ferendum est locum gravissimum qui fuit de impetu et de perturbationibus tanquam non pertinentem ab ipsa doctrina separari; separavit autem Petersenius e suo arbitrio, quo in reliquis categorias istas quatuor inesse evinceret. Quae ipsae cum notionibus moralibus, quibus respondere dicuntur tantum commune habent quantum quae nihil; prorsus enim alienae extrinsecus immiscentur. Denique haec dispositio cogit de una aliqua parte agentem simul idque explicate etiam de reliquis agere; quod ipse Petersenius p. 266 animadvertit, Ciceronem in l. III de fin. quum locum *περὶ*

τέλους exponendum sibi proposuerit, una serie etiam de bonis et malis cap. 10, de virtutibus et vitiis c. 11, de rerum dignitate c. 15—17 disputare. Quae disputatio vel sola demonstrat in loco, qui fuit περὶ τέλους longe alia a Stoicis tractata esse atque quae Petersenius p. 283 tractata esse statuit. Quum enim notionem finis categoriae aliquomodo se habentis subjunxerit, etiam inferiores categorias huic superiori subjunctas in loci περὶ τέλους capitibus cerni contendit idque ita extorquet, ut categoriis ποιὸν et ποσὸν respondeant ἐπιτηδεύματα,

— — ποῦ et πότε εὐκαιρία,

— — σχέσεως h. e. τῷ κεῖσθαι εὐδαιμονία,

τῷ ἔχειν ὁμολογία,

— — κινήσεως h. e. τῷ ποιεῖν et τῷ πάσχειν,

recte facta et recte tolerata.

Quae uti prope omnia non auctoritate sed excogitatione nituntur, propter nimium semel momentum categoriis adtributum inventa, sic plurimas provocant dubitationes. Studia sive ἐπιτηδεύματα quae primum caput efficiuntur intelliguntur artium liberalium, quas Stob. eclog. eth. p. 120 (Heeren.) veluti φιλομουσίαν καὶ φιλογραμματείαν καὶ φιλιππίαν ceterasque ἐγκυκλίους refert Stoicos non inter ἐπιστήμας, sed inter ἕξεις σπουδαίας habuisse et descripsisse tanquam ὁδὸν διὰ τέχνης ἡμέρου ἄγουσαν κατ᾽ ἀρετήν; ideo autem quis credat ab his principium fuisse disputationis περὶ τέλους? Nimio enim profecto honore a Petersenio augentur quum p. 283 locum περὶ τέλους descripturus sic orditur: „primum quaerendum est quae studia e virtute eliciat natura, ut homines sibi obedientes faciat;“ et postea in pleniori descriptione p. 312: „naturae lex ut recte intelligatur et homines sibi obedientes faciat, studio litterarum, doctrina et insti-

tutione efficitur. Omni igitur qua potest vi sapiens in scientiam et eruditionem incumbit, qua vita hominum emendetur et ad humanitatem conformetur. Hac enim via progredimur ad summum illud bonum.“ Haec ut de iis artibus, quas solas spectat Stobaeus l. l. et omnino falso neque e Stoicorum mente praedicantur, ita his quid rei sit cum categoriis quale et quantum difficile est intellectu. Secundum deinde locum quum fecerit *περὶ εὐκαιρίας* sive de opportunitate, non intelligo qui postea p. 283 ita describere possit: „deinde quaerendum est quid praebeat natura cujus participes vel potentes facti homines ei obedientiam praestent.“ Duos denique qui restant locos *περὶ πρώτης ἀξίας* qua *εὐδαιμονία* et *ὁμολογία* simul continentur, et *περὶ πράξεων*, ut demonstret congruere cum categoriis *σχέσεως* et *κινήσεως*, adscivit Stobaeum p. 126 haec referentem: bonorum alia esse in motione, *κινήσει*, veluti *χαράν*, *εὐφροσύνην*, *σώφρονα ὁμιλίαν*, alia *ἐν σχέσει* sive affectione veluti *εὔτακτον ἡσυχίαν*, *μονὴν ἀτάραχον*, *προσοχὴν ἔπανδρον*. Sed haec bonorum distinctio est quae suum habent in ethica locum; nec restringi debet ad *πρώτην ἀξίαν* et ad *πράξεις*; deinde exempla quoque minime quadrant. Nam neque posteriora *εὐδαιμονίας* et *ὁμολογίας* neque priora recte factorum exempla sunt. His adde Ciceronem in l. III de fin. in hoc ethicae loco exponendo longe diversam viam persequi; ut verear, ne omnis viri doctissimi de ejus loci atque universae ethicae dispositione sententia concidat. Quod in libro tantis eruditionis copiis instructo etiam post argumenta a Madvigio in excursu V contra eandem conjecturam allata paucis nobis demonstrandum duximus ne quis nos deinceps diversa ratione progredi miraretur. Cautius is quem modo nominavimus Madvigius l. l. ad divisionem quae fuerit ethicae apud Stoicos eruendam quotcunque huc pertinent auctores

vel singula auctorum veterum testimonia denuo examinavit. Quo duce si breviter quae tradita sunt percensere juvat primum enumeratio Diog. Laert. in VII, 84 et omni ratione caret et tam turbata est ut ne numerus quidem partium satis appareat. Aliquanto sane meliorem viam idem in ipsa rerum expositione sequitur; cui cum Cicerone (de fin. III) hoc fere commune est, quod a primo appetitu ad finem bonorum et virtutem pervenitur, tum ad rerum differentiam, postremo ad officium pergitur; in reliquis autem apud utrumque multa tam abrupta intertexuntur, ut disputationis progredientis via et ratio saepe desideretur. Stobaeus denique p. 90 cohaerentiam rerum penitus neglexit; quam vero alio loco p. 48 affert divisionem, consentientem cum Senecae ep. 120, ea diligenter considerata non disciplinae, sed vitae moralis descriptio esse reperitur. His igitur omnibus examinatis, summam sententiae ad quam pervenerit Madvigius si quaeris, ait p. 839 de ipso Chrysippo, altero illo doctrinae conditore, num unam quasi legitimam totius doctrinae dispositionem habuerit, nonnihil posse dubitari; apud eos autem, qui post hunc fuerint, omnino rarius factum esse, ut ethicam ad summa principia revocare studerent; nihilominus ipsam notionum naturam et cognationem communem quendam praecipuarum partium ordinem effecisse videri, cujus vestigia in iis quae inter Diogenem et Ciceronem conveniant cerni putat. Quid quod judices gravissimi Schleiermacherus l. l. p. 444 et p. 476 ethicen, Ritterus l. l. III, p. 530 (edit. I) etiam reliquas doctrinae partes a Stoicis male dispositas fuisse censuerunt, longe discedentes a Catone Ciceroniano qui quae de fin. III, 22, 74 laudibus effert admirabilem compositionem disciplinae incredibilemque rerum ordinem, ea in ipsius certe disputatione cernuntur minime. Nihilominus reprehensioni illi quamvis saepe

adducar ut assentiar tamen cunctor quum qualibus auctoribus haec doctrina ad nos pervenerit mecum considero. Prudenter Ritterus l. l. suadere videtur, philosophiam Stoicorum non in dispositionibus et divisionibus, sed in rebus et sententiis esse quaerendam. Is certe ethicae locus qui nobis propositus est ut separatam partem effecerit in ampliori compositione tamen ea est gravitate, ut per omnia capita vim habuisse debeat. Naturae convenienter vivere Stoici τέλος esse docuerunt, τέλος secundum Stobaeum c. III οὗ ἕνεκα πάντα πράττεται καθηκόντων, αὐτὸ δὲ πράττεται οὐδενὸς ἕνεκα. Quae definitio ambiguitatem habet; priora enim verba, οὗ ἕνεκα, bonum significare videntur quod expetendum sit, posteriora actionum ipsarum summam. Si vero videmus quidnam τέλος esse dicatur veluti ὁμολογουμένως ζῆν et apud Stobaeum p. 136 distingui τέλος et σκοπὸν ita, ut σκοπὸς sit τι ἐκκείμενον σῆμα (emend. Heeren.), τέλος autem τὸ τυχεῖν τοῦ σκοποῦ, apparet τὸ τέλος cogitandum esse in consiliis agentis tanquam perfectam et quam omnes exprimere debeant vivendi speciem, non tanquam bonum aliquod extra nos situm. Hoc jam annotavit Schleiermacherus p. 161 τέλος interpretatus summam quam sequamur in agendo legem, ut si cum Schleiermacheriana ethicae dispositione, qua primam partem facimus de officiis, secundam de virtutibus, tertiam de bonis, hanc notionem conferamus, τέλος primae partis summam comprehendat. Nihilominus injuria Schleiermacherus reprehendit Ciceronem, quod rei ignarus τέλος verterit finem bonorum sive summum bonum et similiter; quod quum dicit a Stoicorum sententia abhorrere parum recordari videtur eorum quae ipse alias de Stoicorum quae fuit de bonis doctrina sagacissime judicavit. Dicit enim non solum in universum p. 175 trium generum quae ethicam

constituant h. e. officiorum, virtutum, bonorum discrimina a Stoicis misceri, sed etiam accuratius p. 241 et squ. singularem quae sit bonorum notionis proprietatem parum ab iisdem esse perspectam; quum enim ab iis quibus adversarentur h. e. voluptatis patronis boni notio tota in singulorum usum vel possessionem detraheretur, idem nescios ipsos quid facerent fecisse Stoicos, quum tamen bonorum notionem e singulorum utilitatibus ad eorum quae communia sunt dignitatem augere deberent; jam vero non solum multa voluptatis elementa in bonorum complexum admisisse, sed etiam omnino pro fine bonorum nihil majus assecutos esse quam virtutem. Ac profecto quum ex aetatis qua viverent indole non minus ad Stoicos quam ad reliquas philosophorum sectas hoc manaret ut omnia solum referrent ad hominem sibi viventem, ne bonum quidem ullum cogitatione assecuti sunt quin hujus esset in potestate. Quod si bona ut est apud Stobaeum p. 90 dividebantur in virtutes et reliqua, nihil obstitit quominus *τέλος* vel finis virtutum, *τέλος πασῶν τῶν ἀρετῶν* ap. Stob. p. 108 vel finis bonorum diceretur. Quod Petersenius l. l. p. 274 recte ita comprehendit in notione *τέλους* et felicitatem et convenientiam contineri.

Ab externis igitur ethicae Stoicae rationibus restituendis abstinentes nihilominus id quod naturae convenienter vivendum esse pro *τέλει* praeceperunt quem locum quamque per interiorem disciplinae connexum dignitatem habuerit aliquatenus apparere putamus. Est illud ut supra diximus disciplinae ethicae fons et principium eaque pro dignitate ita a nobis enarrabitur, ut per totum moralium disputationum campum ejus vim et momentum persequamur.

§. 3.

Quoniam autem ita facere constituimus ut a simplicioribus doctrinae elementis ad implicatiora, ab originibus per incrementa ad exitum genetica quam vocant via progrediamur, qua illa quodammodo iterum ante contemplantium animos nascatur, proficiscemur ab ea principii illius quod quaerimus formula, quae et simplicissima et si Stobaeo fides antiquissima est. Is enim loco pervulgato p. 132 Zenonem tradit pro τέλει posuisse τὸ ὁμολογουμένως ζῆν, convenienter vivere; naturae vocabulum a Cleanthe demum additum, Zenonis formulam non satis facere putante. Quam differentiam neque Cicero neque Diog. Laert. neque quod sciam quisquam alius commemoravit. Atque Ciceroni quidem nihil tribuendum est, quum alias tum de fin. IV, 6, 14 accuratiora doctrinae discrimina ita miscenti ut eam formulam quam Chrysippi esse certissime constat Zenoni tribuat. Gravius videri possit quod Diog. verbis Zenonis allatis hunc primum τέλος esse docuisse naturae convenienter vivere diserte refert. Quod Heerenius ad Stobaei l. l. eo exaequari posse annotavit, quod fieri potuerit ut Zeno alio libri sui loco simpliciori, alio pleniori formula uteretur. Sed apertum est Stobaeum non quod nescio quo loco Zeno dixerit sed quod pro suo decreto constanter professus sit tradere; tam distincte ab illius formula ad Cleanthem procedit. Equidem cum J. Lipsio in manuduct. dissert. XIV Stobaeum verum tradidisse censeo. Diogenes enim omnino varietatem formularum quam leviter tractet, ex eo apparet, quod continuo adjicit: ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν ζῆν; quo omnis quorumcunque principiorum differentia exstinguitur. Adde quod paulo post Chrysippi formulam idem valere dicit. Levis ejusmodi ratio est et fidem scriptoris

diminuit. Quod autem librum Zenonis nominavit, nullam habere debet auctoritatem in scriptore quem non ipsos auctores sed aliorum excerpta eximia saepe cum stultitia sequi diu inter viros doctos constat. Stobaei accurata enarratio sese ipsa commendat. Quid autem si quam Stobaeus Zenoni tribuit formulam accuratius examinatam talem esse inveneri-mus, ut intelligi nequeat neque Cleanthes et Chrysippus qui iidem et suam formulam inducere et Zenonem suae sectae auctorem habere potuerint, neque omnis haec disciplina qui ex illo principio nata et ducta esse possit? Apparebit autem contrarium Zenonis sententiam et optime posteriorum matrem videri posse et etiam tum quum plenior doctrina condita esset vim suam retinuisse.

Explicari illud *ὁμολογουμένως ζῆν* melius non potest quam iis quae ipse Stobaeus adjicit: *τοῦτο δ' ἐστὶ καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν ὡς τῶν μαχομένων ζώων κακοδαιμονούντων· μάχεσθαι* est secum pugnare ut apud Plut. de Stoic. rep. c. 3: *ὥστε καὶ πολιτευόμενοι μάχονται. Ὁμολογουμένως* autem nude positum nihil aliud esse potest nisi congruenter sive convenienter h. e. ita ut singulae actiones omnes inter se concinant, ut unum efficiant ac totum per omnem vitae decursum expressum tanquam ideam in simulacro; quod simile ex ipsis Stoicis adduco; ita enim Diog. L. 90 *ἀρετὴ τελείωσίς τις ὥσπερ ἀνδριάντος*. Bene Schleiermacherus l. l. p. 60 illa formula significari ait omnium eorum quae honesta vocentur aequalitatem vel quod Fichtius docuerit omnia honesta in una serie et tanquam linea esse sita. Denique postulatur quam nos depravata Latini nominis vi consequentiam vel quem *χαρακτῆρα* vocare consuevimus. Quodsi idem ille cavendum esse monet ne illud *ὁμολογουμένως ζῆν* ad sententiam Cantii interpretemur, quae ipsi in vita

sequamur talia esse debere ut pro communibus legibus esse possint praecipientis, scire velim, cui tandem ea formulae Stoicae interpretatio in mentem venire potuerit. Apte vero idem conferendam esse admonuit eam definitionem, qua Stoici animum dixerint esse fontem vitae transigendae, ex quo singulae actiones profluant; quae est apud Stob. p. 36: *ἦθός ἐστι πηγὴ βίου ἀφ᾽ ἧς αἱ κατὰ μέρος πράξεις ῥέουσι·* quippe quum ex eodem fonte continuae manant, tum fiet ut unam et consentientem speciem exprimant. Jam hoc praeceptum videsis etiam a Stoicis in universum, quum in unam sectam comprehenduntur, non solum inter cetera praecepta tradi sed diserte pro primo ac summo poni. Maximum hoc quod communiter etiam in perfecta jam Chrysippi acumine doctrina finem ponunt in *ὁμολογίᾳ* sive convenientia, quae illud ipsum *ὁμολογουμένως ζῆν* uno vocabulo complectitur. Cic. de fin. III, 6, 21: „quod (summum) quum positum sit in eo quod *ὁμολογίαν* Stoici, nos appellemus convenientiam si placet." Locus qui est de fine idem alias inscribitur *περὶ ὁμολογίας* (v. ll. ll. a Petersenio p. 274). Diog. Laert. 89: *ἐν αὐτῇ τε (τῇ ψυχῇ) εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν ἅτε οὔσῃ ψυχῇ πεποιημένῃ πρὸς τὴν ὁμολογίαν παντὸς τοῦ βίου.* Stobaeus p. 136 quum tradit *τὸ τέλος* valere *τὸ τελικὸν ἀγαθόν, ὡς,* inquit, *τὴν ὁμολογίαν λέγουσι τέλος εἶναι,* deinde idem quod proprie *σκοπὸς* dicatur, *οἷον τὸν ὁμολογούμενον βίον*, in eo idem illud *ὁμολογουμένως ζῆν* primum ut actio, deinde ut habitus — ita enim si est discrimen *τέλος* et *σκοπὸς* discriminantur (v. annot. Heeren. d.) — pro summo ponitur. Selem p. 138: *τοῦτο δὲ (τὸ τέλος) ὑπάρχειν ἐν τῷ κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν, ἐν τῷ ὁμολογουμένως ζῆν, ἔτι ταὐτοῦ ὄντος* (h. e. quod idem est — ex emend. Heeren.) *ἐν τῷ κατὰ φύσιν ζῆν*, eam, de qua nunc agimus, formulam mediam facit

inter eam quae minus et eam quae magis definita est. Similiter p. 132: *φασὶ τὴν ἀρετὴν πᾶσαν τὴν περὶ ἄνθρωπον καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ζωὴν ἀκόλουθον ὑπάρχειν καὶ ὁμολογουμένην φύσει* in quibus *ζωὴ ἀκόλουθος* eadem est atque supra *ὁ βίος ὁμολογούμενος*, vita, ut cum Seneca ep. 89 loquamur, sibi concors. Hic virtus definitur; quippe virtutem e principio definiri necesse erat; quamobrem addatur altera ejusdem descriptio ap. Stob. *τὴν ἀρετὴν εἶναι διάθεσιν σύμφωνον αὐτῇ περὶ ὅλον τὸν βίον.* Ex his satis apparebit *τὸ ὁμολογουμένως ζῆν* a Stoicis promiscue ita pro principio et fine poni ut ne significetur quidem quo differat a sententia pleniori: *φύσει ὁμολογουμένως ζῆν.*

Attinet autem priusquam convenientiam illam relinquamus propinqua quaedam attingere quae ad ipsius vim explicandam facere videntur. Atque Cicero quidem illi compluribus locis proxime annectit quam vocat opportunitatem. De fin. III, 14, §. 46: „(Stoici) quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur;“ et rursus paulo ante: „quemadmodum opportunitas (sic enim appellemus *εὐκαιρίαν*) non fit major productione temporis (habent enim suum modum quaecunque opportuna dicuntur) sic etc.“ *Εὐκαιρία* neque a Diogene neque a Stobaeo commemoratur, nisi quod hic p. 194 omnia *κατορθώματα* ut *δικαιοπραγήματα* et similiter, ita etiam *εὐκαιρήματα* a Stoicis haberi refert; habet autem ut mihi videtur aliquam ambiguitatem, quum et agendi ratio ea quae tempora prudenter respiciat ut in priori loco, et occasio quam praebeant tempora recte agendi ut in posteriori eodem vocabulo significetur; alterum non minus aperte etiam de offic. I, 40, §. 142 ubi postquam (conveniens in hoc cum Stobaeo p. 106) *εὐταξίαν* sive modestiam secundum Stoicos definivit scientiam earum rerum quae agentur aut dicentur

loco suo collocandarum, „locum autem, inquit, actionis opportunitatem temporis esse dicunt; tempus autem actionis opportunum Graece *εὐκαιρία* Latine appellatur occasio“ et deinde concludit: „modestiam esse scientiam opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.“ Occasio eadem est quam properantem observare, circumspicere, prendere jubet Seneca ep. 22. Ejus igitur observatio ut ad vitam bene agendam conferat habeatque suum in virtutum singularum numero locum, tamen quum a Cicerone l. l. ipsi convenientiae tam prope et quasi pari dignitati adjungitur eoque in summi boni definitionem assumitur, quin errore quodam nimis aucta sit, equidem non dubito. Quanto enim illa cujus vim supra explicavimus totius vitae convenientia et concinnitate humilior sit, quis non videt? Scilicet quae postulatur convenientia ea in se ipsa hoc est in hominis animo et voluntate unicam rationem et normam habet, quae adjungitur opportunitas ea e contrario ad fortuitam casuum et rerum externarum normam oculos intendere jubet; ut paene ne convenientiam quidem ipsam a Cicerone quum haec verba scriberet pro dignitate sua satis aestimatam suspiceris. Pro summo autem quod positum vidimus ut omnia vitae momenta unam efficiant et consentientem speciem, id deinde praecipue effertur in sapientis et stulti descriptione, quum sapiens omnia secundum omnes virtutes bene facere *συνεχῶς* h. e. tanquam uno tenore, stultus varius in consiliis esse et usque poenitentia corripi, *εὖ μετάπτωτος καὶ παρ᾽ ἕκαστα μεταμελείᾳ συνεχόμενος* dicitur. Poenitentia (ib. ap. Stobaeum p. 208) *κακοδαιμονικόν τι πάθος ψυχῆς καὶ στασιῶδες* et a sapiente alienissima. Hoc et praeterea quod misericordiam omnem a sapiente alienam esse volunt (Stob. p. 123) eam efficiunt sapientiae Stoicae indolem quam Seneca consol. ad Helviam c. 12 virilem vocat

ac rigidam quamque ipse persaepe luculentissimis verbis praedicavit; veluti epist. 20: „sapientia est semper idem velle ac nolle;" ep. 74: „virtus convenientia constat; omnia opera ejus cum ipsa concordant et congruunt. — Accedat ut perfecta virtus sit, aequalitas ac tenor vitae per omnia consonans sibi." Porro ep. 35: „quoties experiri voles, an aliquid actum sit, observa an eadem velis hodie quae heri;" ep. 95: „non contingit tranquillitas nisi immutabile certumque judicium adeptis; ceteri decidunt subinde et reponuntur et inter omissa appetitaque fluctuantur. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis;" ep. 120: „maximum judicium est malae mentis fluctuatio et inter simulationem virtutum amoremque vitiorum jactatio. — Magnam rem puta unum hominem agere;" ep. 31: „licet exceptiunculam illam non adjiciam ut rectum sit quod velis. Non potest cuiquam semper idem placere nisi rectum." Qui loci quum propter luculentam dictionem digni quos totos hic describerem mihi visi sunt tum quia simul disputationi quo jam pergendum sit demonstrant. Quod enim Seneca dicit non posse cuiquam semper idem placere nisi rectum, id objectioni cuidam occurrere apertum est, quae vereor ne plerisque in illo *ὁμολογουμένως ζῆν* in promptu futura sit. Dicent enim: bene est; si consentienter vivere summum est, improbissimus quisque dum sibi constet in improbitate summum attinget. Quod etsi a Seneca refutatur, tamen in ipsa principii formula et definitione evitandum esse mox apparuit. Desiderium sentiretur necesse fuit normae illius quae constanter observata consentientem efficiat vitam sive *τοῦ λόγου*, quem tenendum Stob. l. l. dicit diserte definiendi. Accessit definitio addito *φύσει;* jam enim *λόγος* ille unde repetendus sit dubitari non potest. Convenienter vivere ut momentum suum et dignitatem habeat in

summo officio (quoniam perfecta virtus sine illa convenientia et constantia esse non poterit), tamen pro principio ac fonte officiorum positum parum sufficere repertum est; quippe ex quo officiorum virtutumque copia et varietas duci nequeat. Sola enim ut ita dicam forma actionum attingitur, materia non attingitur. Quodsi nihilominus Stoici quod supra demonstravimus etiam in perfectiori ethicae compositione breviorem formulam retinuerunt, toto disciplinae connexu satis cautum erat ne quis eam ad improbitatem tuendam interpretaretur, idem autem nihil relinquere videtur quod prohibere possit, quominus credamus Stobaeo, Zenonem in hac formula acquievisse. Annon saepius in historia philosophiae praesertim antiquae videmus definitiones non statim a primo auctore sed discipulorum acumine satis distincte formari? Atque Zeno fortasse omnino magis animi virtute quam doctrinae eruditione Stoam condidit; doctrinam primus perfecisse et exstruxisse ab omnibus traditur Chrysippus; quod de ethica nominatim dicit Diog. Laert. §. 84. Itaque jam ad pleniorem sententiam explicandam progrediamur.

§. 4.

Quod Stobaeus l. l. a primo Cleanthe qui proximus Zenonis sectam exciperet pro fine positum esse refert, *τὸ φύσει ὁμολογουμένως ζῆν*, id si non jam apud ipsum Zenonem certe apud posteriores eam dignitatem assecutum est, ut pro communi omnium Stoicorum sententia haberetur. Seneca qui epist. 20 sapientiam esse dicit semper idem velle ac nolle, idem de vita beata c. 3: ,,quod inter omnes, inquit, Stoicos convenit, rerum naturae assentior. Ab illa non deerrare et

ad illius legem confirmari sapientia est.“ Hoc quale sit jam quaerendum est; in quo quidquid divergentium formularum praeterea traditum accepimus, id suo quidque loco commemorabimus.

Quod autem illico sentitur, si pleniorem formulam cum breviori contulerimus, omnis sententiae vis ac pondus e convenientia cessit in naturam. Illud enim *ὁμολογουμένως* sive *ἀκολούθως* quod antea per se sapientiae summam continebat nunc pro praepositione est, discrimen ipsum et tanquam cardo litis in naturae potestate versatur. Schleiermacherus p. 136: „die Naturgemässheit ist für sich ein reiner Verhältnissbegriff und kann nichts bestimmen ehe nicht die Natur bestimmt worden.“ Quam autem notionem quum in omnibus antiquorum hominum mentibus tum in Stoicorum disciplina ampliorem valuisse diceres quam naturae? De qua dicturi latissimum ingredi videmur cogitationum campum.

Naturae convenienter vivere jubemur. Quod si quis ex hodierno sensu interpretari vellet vereor ne a Stoicorum sententia prorsus aberraret. Nam etsi interpretationum quae esse possunt ejus sententiae omnem fere varietatem etiam inter nostrates circumferri video, tamen, si ex ea varietate quaenam nostro sensui maxime propria esset, quaereretur, (ut omittam quod vulgo victum et habitum et reliqua quae sunt corporis secundum naturam instituenda praecipitur) maxime dicerem a nostris hominibus in ejusmodi praeceptis naturam intelligi eam indolem, quam suam unumquemque et plane singularem ac propriam in sese ferre putamus. Veluti Goethius si quem videbat strenue agentem quod suum esset naturam vocabat. In quo quam singulis tribuimus dignitatem ea aetate Christiana demum agnosci coepta est. Stoici certe in ea, quam sequendam esse statuunt, natura interpre-

tanda (nisi hoc obscurius dictum videbitur) a parte contraria hoc est non ab individuo quod vocamus verum ab universitate rerum proficiscuntur eamque qua amplius nihil est naturam intelligi volunt, morum disciplinam nullam esse rati, nisi quae e naturae principiis ducatur. Chrysippus ap. Plut. de Stoic. rep. c. 9: *οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως οὐδ' οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον οὐδ' ἐπὶ τὰς ἀρετὰς οὐδ' ἐπὶ εὐδαιμονίαν ἀλλ' ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως;* et paulo ante: *οὐκ ἔστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν οὐδ' ἄλλην γένεσιν ἢ τὴν ἐκ τοῦ διὸς καὶ ἐκ τῆς φύσεως.* Adde Cic. de fin. III, 22, 73: „physicae quoque non sine causa tributus est idem honos: propterea quod qui convenienter naturae victurus sit ei proficiscendum est ab omni mundo atque ejus procuratione.“ Hic igitur physicae finis, hic eodem Chrysippo l. l. auctore usus, quod bônorum et malorum hoc est ethicae cognitionem condat.

Qua vero ratione naturae et virtutis principia tam arcte conjuncta esse doceant, ex eo perspicietur, quod de naturae ipsius vi et dignitate statuerint; quod demonstrare quidem huc non pertinet, attigisse pertinuerit.

Maximum autem et simul contrariae Epicuri sectae imprimis oppositum hoc est, naturam Stoicis videri plenam sensu, plenam ratione, plenam divinitate. Gravissimis verbis efferunt unius mentis per universam materiae continuationem pertinentis et tanquam effusae vi et potestate rerum universitatem contineri. Per omnem mundum principium agens cum patiente sive ratio cum materia arctissime conjuncta; deusque viget in natura, idem cogitandus si materia respiciatur ignis artificiosus, si mens, providentia; sin ipsa utriusque partis coagmentatio et copulatio, fatum et necessitas. Ad hos enim

gradus multarum, quibus Stoici numinis divini vim definiverunt, notionum quasi scala quaedam proponi possit. Omnes autem redeunt ad naturam communem sive *τὴν κοινὴν φύσιν*, quippe quae tanquam media extremas quasque partes ad centrum orbis restringat et contineat efficiatque unam illam consentientem, conspirantem, continuatam rerum cognationem, in qua demonstranda et praedicanda Stoicos admodum multos fuisse reperimus.

Talis autem quum informetur natura rerum, facile intelligitur qualis inde reddatur homini dignitas qualisque in hoc universo locus. Chrysippus ap. Diog. L. VII, 87 vivere quum praecipit scientiam adhibentem eorum quae natura eveniant pro ratione addit: *μέρη γάρ εἰσιν αἱ ἡμετέραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου.* Hanc igitur mentium humanarum cum universi mente cognationem respicit quum §. 88 ita pergit: *διόπερ τέλος γίνεται τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν ὅπερ ἐστὶ κατά γε τὴν αὑτοῦ καὶ κατὰ τὴν τῶν ὅλων οὐδὲν ἐνεργοῦντας ὧν ἀπαγορεύειν εἴωθεν ὁ νόμος ὁ κοινός· ὅςπερ ἐστὶν ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διὶ καθηγεμόνι τούτῳ τῆς τῶν ὄντων διοικήσεως ὄντι.* Verba ad declarandam Stoicorum sententiam gravissima; in quibus eminet ille qui naturam et virtutem connectit *νόμος κοινός*, sive lex mundana quae ut res naturales ordinat et disponit, ita hominibus proposita est quam pro viribus exsequantur et quasi exprimant. „Homo, Stoicus inquit apud Cic. de nat. deor. II, 14, ad mundum contemplandum et imitandum natus est; nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti; nihil enim est in omni mundo quod non pars universi sit (ib. II, 11, §. 30); in mundo autem et caelo (ib. 21, §. 56) nulla nec fortuna nec temeritas, nec erratio nec varietas inest contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia;

eam igitur homo in vita sua imitetur. Mundus tanquam communis deorum atque hominum domus aut urbs utrorumque (ib. 62, 154); sequitur (ib. 31, 74) ut eadem sit in utrisque ratio, eadem veritas utrobique eademque lex: quae est recti praeceptio pravique depulsio.“

Naturae convenienter vivere primo et amplissimo sensu hoc est, legem mundanam imitari. Idem dicere putavimus interpretationem, quam attigimus, Chrysippi; quae traditur a Diog. L. et Joh. Stobaeo ll. ll. iisdem verbis: *ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων.* Cicero eam saepius vertit: vivere scientiam adhibentem eorum quae natura eveniunt; quod autem de fin. III. 3, 31 veluti pro explicatione adjicit: „seligentem quae secundum naturam, et si quae contra naturam sunt, rejicientem,“ quum selectionem et rejectionem finis notioni immiscet, posteriorum Stoicorum interpretatione genuinam Chrysippi sententiam depravasse videtur; id quod postea clarius cernetur. Mihi ex iis quae exposita sunt et praesertim ex addita ratione de natura humana universae participe certum est Chrysippi formulam eum significare finem quo amplior nullus esse potest, legis mundanae contemplationem et imitationem. Hoc in doctrinae connexu et ipse Ritterus III, p. 614 eam collocavit. *Κατ' ἐμπειρίαν* est ex intelligentia; quo bene significatur hunc proprium esse hominis honorem, ut communem universi legem non caecam sequatur, sed perspectam intelligentia. *Τὰ φύσει συμβαίνοντα* explicate dicuntur quae latent in *φύσει*, mundi ordines atque instituta. Haec mente comprehendisse, virtute expressisse Chrysippo *τέλος* est.

Atque sic ille locutus et Cleanthis magistri simplex illud *φύσει ὁμολογουμένως ζῆν σαφέστερον βουλόμενος ποιῆσαι* ut ait Stob. l. l. Quin Cleanthes eam interpreta-

tionem, quam exposuimus, qua natura intelligitur universa, sic tenuisse videtur, ut universam opponeret particulari. Memorabilis quam hac de re inter utrumque dissensionem fuisse auctor est Diog. L. VII, 89: *φύσιν δὲ Χρύσιππος μὲν ἐξακούει ᾗ ἀκολούθως δεῖ ζῆν τήν τε κοινὴν καὶ ἰδίως τὴν ἀνθρωπίνην· ὁ δὲ Κλεάνθης τὴν κοινὴν μόνην ἐκδέχεται φύσιν ᾗ ἀκολουθεῖν δεῖ οὐκέτι δὲ καὶ τὴν ἐπὶ μέρους.* Sed haud scio an qui ita retulerunt philosophorum sententias male interpretati sint. Primum enim mirum est quod naturae humanae in sententia Cleanthis parum respondet *ἡ ἐπὶ μέρους* quam potius intelligeres singulorum hominum. Deinde vero num credibile est Cleanthem id quod in vita sequendum esset sola in universa natura posuisse, humanam separavisse, praesertim quum ceterum e Stoicorum sententia species quaeque generibus suis contineantur? Qui tandem humana natura remota ullum deducere potuit officium? Nam si Chrysippus universae naturae adjungit humanam, non ad diversum genus se vertit, sed ipsius universae naturae contemplatio ad humanam ut quae ex illa manaverit progredi jubet. Quamobrem equidem suspicor Cleanthem ideo gravius extulisse universam naturam, ut omne sui studium a virtute arceret, non naturam humanam omnino; quum vero Chrysippus postea duplicem naturam acutius distinxisset, posteriores hoc contra Cleanthis sententiam dictum putasse.

Nihilominus progressum quendam doctrinae inter Cleanthem et Chrysippum animadverti non negaverim. Profecto enim Cleanthes communem naturam maxime eam informasse videtur, cui propter praevalentem potentiam hominem sese totum tradere oporteat. Particularia omnia exstingui voluit prae universae naturae jure et majestate. Ratio religiosa et quae animos hominum severos reddere debeat et pios; severos

ut qui in nulla re suam sed in omnibus supremi rectoris voluntatem respiciant; pios ut qui afflictis in rebus suae memores fragilitatis altioris potentiae imperio totos sese dedant. Severiorem sectam in iis locis moralibus, de quibus pro varia indole Stoici varie statuerunt, Cleanthes tenuisse reperitur; veluti omnem voluptatem a fine bonorum acriter contendit esse separandam (de quo v. Ritteri Zusätze p. 127); pium autem animum et diis deditum quis non sentit in clarissimo illo qui Cleanthis fertur hymno egregie expressum? Eundem saepe et luculenter exprimunt seriores illi propter animorum tranquillitatem philosophantes Epictetus, Seneca, Antoninus. Quodsi Ritterus III, p. 621 maxime insigne esse dicit disciplinae Stoicae hoc: „Es wird das Einzelne ganz dem Allgemeinen unterworfen; ein jeder persönliche Zweck aber ausgeschlossen“ (quod idem clarissimum illud Horatii in epist. 1, 1 se rebus subjicere dicit) id proprie dixerim de severitate Cleanthis; siquidem e Chrysippea ratione particularis natura non amplius opponitur universae, sed universam in se ipsa complectitur. De pio autem quem commemoravi animo et diis se tradente dixerim hic illud principale naturae convenienter vivere non ad agendum sed ad patiendum applicari. Quodsi J. Lipsius omnia Stoicorum de convenientia cum natura praecepta eo redire contendit, ut deum sequi jubeamur, id unum tantum sensum exprimit ex illo principio fluentem, totam sententiam minime assequitur; immo formulam philosophicam in praeceptum religiosum ita transvertit, ut illius proprietas et acies tollatur; etenim deum sequi quum jubemur quis tam insanus se id non probare dicat?

Chrysippus ampliora spectasse videtur. Naturam communem non tam quae coerceat et reprimat singulos cuique se subjicere debeant, quam eam cujus homo ipse particulam in

se ferat interpretatur. Inde quae reddatur homini dignitas, quae animi altitudo apertum est. Civem mundanum sese sentiet et geret. Ex quo consequetur non solum ut non sibi sed communi utilitati vivendum ducat quod solum effert Cic. fin. III, 19, 64, verum multo amplius hoc, ut omnia ea quae e mundi constitutione ad hominem redeant munera et officia sustineat sive ut suum in rerum universitate locum suamque positionem explere conetur. Postulat Chrysippus, ut singuli exprimant ideam generis. Suscepti autem altitudo ingentem gignere debuit animi confidentiam. Censetque Chrysippus ap. Plut. adv. Stoicos c. 33: *ἀρετῇ οὐχ᾽ ὑπερέχειν τὸν Δία τοῦ Δίωνος ὠφελεῖσθαί τε ὁμοίως ὑπ᾽ ἀλλήλων τὸν Δία καὶ τὸν Δίωνα σοφοὺς ὄντας ὅταν ἕτερος θατέρου τυγχάνῃ κινουμένου;* prorsus ut inter nostrates Angelus ille Silesius:

Ihm ist so viel an mir als mir an ihm gelegen,
Sein Wesen helf ich ihm, er mir das meine pflegen.

Multa saepe Stoicos de pietatis et religionis laudibus disserere audimus; vere quid senserint et e disciplinae principiis sentire debuerint ejusmodi sententia demonstrat. Nam profecto quum singulos mentis mundanae partes esse statuissent, pietatem tolli, confidentiam ingentem in animis crescere necesse fuit.

Eo certe perfectiorem reperiemus Chrysippi rationem quod ex hac demum singula officia derivari possunt; quod de altera qua in universa consistitur jure negavit Ritterus III, p. 618, 620 et praecipue p. 623. Nam *κοινὸς* ille *λόγος* sive *νόμος* etsi in universum hominibus pro actionum norma proponitur, reapse necesse est magis sentiatur tanquam necessitas quaedam fatalis, cui se dedere obsequio magis patiente quam agente sapientis sit, grande cum Seneca censentis solatium:

cum universo rapi. Ad certa autem officia deducenda idem *κοινὸς λόγος* quantum absit ut idoneus sit, ipsa Chrysippi verba supra e Diog. L. VII, 88 allata: *οὐδὲν ἐνεργοῦντας ὧν ἀπαγορεύειν εἴωθεν ὁ νόμος ὁ κοινὸς* insigni modo demonstrant et quasi confitentur. Scilicet uti Socrates daemonio illi suo solam retinendi et vetandi, haud aeque movendi et jubendi vim tribuebat, sic omnino ejusmodi numina in aere, ut ita dicam, et nubibus hoc est in incerta regione versantia ut promant interdum quid non velint, vix proment quid velint. Atqui ejus generis etiam legem istam mundanam esse vix quisquam erit quin sentiat et concedat. Quum autem ex universa natura tanquam e genere species ducitur natura humana, tum certius definiri poterit, quaenam homini sustinenda sint munera atque officia.

Novam quam sic patefecit Chrysippus disputationis viam priusquam ingrediamur, alteram ejusdem sententiam afferre liceat quam statim post ea quae supra explicavimus addit Diog. L. l. l. *εἶναι δὲ αὐτὸ τοῦτο (τὸ ζῆν κατὰ τὴν αὑτοῦ καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν) τὴν τοῦ εὐδαίμονος ἀρετὴν ὅταν πάντα πράττηται κατὰ τὴν συμφωνίαν τοῦ παρ' ἑκάστου δαίμονος πρὸς τὴν τοῦ ὅλου διοικητοῦ βούλησιν.* Hic eam particulam quae insit in singulis numinis divini auctam videmus ad speciem daemonis. Quod autem daemon vocatur ex usu Graecorum quo deum et daemonem distinguere solent convenienter fit, ut qui e sublimitate coelesti et tanquam puro divinitatis lumine descendisse cogitetur in affectionum turbarumque terrestrium commixtionem. Qui igitur legem mundanam imitabitur, in eo genius qui viget in pectore concinet cum voluntate rectoris supremi. Ex nostratibus duos invenio hanc Chrysippi sententiam respexisse Schleiermacherum l. l. d. 60 qui apte comparat normas Fichtianas: „conscientiam

et rerum ordinem," nisi quod daemon ille revera ad personae speciem informatur et Reinholdium in hist. phil. qui quum daemonem interpretatur „genium individui" plus mihi videtur tribuere particulari ejus genii naturae quam Stoici tribuerunt. Viget ille quidem singularis in singulis, sed ita ut potissimum universam naturae humanae divinitatem repraesentet. Quam Stoici saepe graviter et luculenter praedicando efferunt. Antonin. II, 1: *ἄνθρωπος κόσμου μέρος καὶ τοῦ διοικοῦντος τὸν κόσμον ἀπόρροια.* Seneca ep. 66: „ratio nihil aliud est quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa;" id. consol. ad Helv. 8: „Animus contemplator admiratorque mundi pars ejus magnificentissima;" ep. 92: „totum hoc quo continemur et unum est et deus et socii ejus sumus ac membra;" ep. 41: „sacer intra nos spiritus sedet malorum bonorumque nostrorum observator et custos; — — ille dat consilia magnifica et erecta; in unoquoque virorum bonorum, quis deus incertum est, habitat deus." Epict. ap. Arrhian. I, 14: *αἱ ψυχαὶ οὕτως εἰσιν ἐνδεδεμέναι καὶ συναφεῖς τῷ θεῷ ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι καὶ ἀποσπάσματα.* II, 9: *σὺ ἀπόσπασμα εἶ τοῦ θεοῦ, ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκεινου — οὐκ οἶδας ὅτι θεὸν τρέφεις.* Denique Antonin. V, 7: *ὁ δαίμων ὃν ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ ζεὺς ἔδωκεν ἀπόσπασμα αὐτοῦ — οὗτος δέ ἐστιν ὁ ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος.* Hunc *τὸν ἔνδον ἐν τῷ στήθει ἱδρύμενον δαίμονα* III, 16 monet *μὴ φύρειν μηδὲ θορυβεῖν ὄχλῳ.*

Sed jam satis demonstratum erit, quam eloquenter Stoici illam de genio divino in hominis animo habitante sententiam amplexi sint. Quam huc adduximus ad illustrandam quam Chrysippus postulat *ξυμφωνίαν τοῦ παρ᾽ ἑκάστῳ δαίμονος πρὸς τὴν τοῦ ὅλου διοικητοῦ βούλησιν;* eam autem gravissimam censemus ad principii de quo disputamus supremam

sententiam plene intelligendam. Naturae convenienter e Stoicorum sententia vives, si te totum tradideris in hujus universi spiritum et ordinem, si legem mundanam ipsi tibi propositam duxeris contemplandam atque imitandam, si denique eum qui intus in te est deum unum audies et constanter sequeris. Ingentem inde consiliorum altitudinem animique confidentiam senties. Seneca ep. 48: „hoc est quod mihi philosophia promittit, ut me parem deo faciat; ad hoc initiatus sum, ad hoc veni;“ ep. 73 censet hoc uno deum praestare sapienti quod diutius bonus sit, illo autem sapientem deo quod deus naturae beneficio, non suo sapiens sit. Denique ep. 31: „huc et illud accedat ut perfecta virtus sit aequalitas ac tenor vitae per omnia consonans sibi — hoc est summum bonum quod si occupas incipis deorum esse socius, non supplex. Quomodo inquis isto pervenitur? — tutum iter est, jucundum est ad quod natura te instruxit. Dedit tibi illa quae si non deserueris par deo surges.“

His verbis sponte eo traducimur quo pergendum fuit. Ex universa natura considerata necessario oriri vidimus quaestionem alteram, quemnam in illius connexu locum teneat et comprehendat humana, universae pars ex ipsa genita. Antonin. II, 9: *τούτων ἀεὶ δεῖ μεμνῆσθαι τίς ἡ τῶν ὅλων φύσις καὶ τίς ἡ ἐμή, καὶ πῶς αὕτη πρὸς ἐκείνην ἔχουσα καὶ ὁποῖόν τι μέρος ὁποίου τοῦ ὅλου οὖσα* et squ.

§. 5.

Humanam autem naturam aeque atque universam quod praecipitur ut sequamur, id si proximam et promptissimam sententiam quaesiveris nihil aliud est atque quod attingit

Seneca l. l. dedisse nobis naturam quae si non deseruerimus pares deo surgere concessum sit. Apud Stobaeum postquam virtutes principales cum suo quaeque earum quae secundi ordinis habentur agmine definitae sunt, sic pergitur p. 108: harum omnium finem esse secundum naturam vivere, id enim virtutibus homines assequi; *ἔχειν γὰρ ἀφορμὰς παρὰ τῆς φύσεως καὶ πρὸς τὴν τοῦ καθήκοντος εὕρεσιν καὶ πρὸς τὴν τῶν ὁρμῶν εὐστάθειαν καὶ πρὸς τὰς ὑπομονὰς καὶ πρὸς τὰς ἀπονεμήσεις κατὰ τὸ σύμφωνον*; quibus quamquam verba e Stoicorum ut videtur dicendi more nova et paene insolita sunt tamen quatuor virtutes summas *φρόνησιν, σωφροσύνην, ἀνδρείαν, δικαιοσύνην* significari satis apertum est. Quod idem breviter p. 116: *πάντας ἀνθρώπους ἀφορμὰς ἔχειν ἐκ τῆς φύσεως πρὸς ἀρετήν*. Hae *ἀφορμαὶ* sunt incitamenta vel „Antriebe;" (quum alias idem vocabulum significet sensum repudiantis veluti Diog. Laert. VII, 104: *ἀδιάφορα τὰ μήτε ὁρμῆς μήτε ἀφορμῆς κινητικά*, et Stob. p. 142). Seneca ep. 50: „virtus secundum naturam est, vitia inimica et infesta sunt — nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros liberosque genuit" et de ira II, 13: „sanabilibus aegrotamus malis ipsaque nos in rectum genitos natura si emendari velimus juvat." Eodem pertineret si recte haberet quod Ritterus III p. 618 e Plut. de Stoic. rep. c. 17 affert, Chrysippum vitam honestam posuisse in eo, ut conveniret cum innatis de bono et malo judiciis. Nunc ille l. l. nihil dicere videtur praeterquam suam de bonis et malis doctrinam optime convenire cum *ταῖς ἐμφυταῖς προλήψεσι*; quarum assensione Stoicos omnino doctrinam suam commendare studuisse satis constat. Ut autem *προλήψεις* scientiae, ita *ἀφορμαὶ* voluntatis sunt. Ex iisdem jam deinceps igniculis non defuerunt officia singula quae nullo medio interposito aptissime duci viderentur

veluti ap. Diog. Laert. VII, 120 dicunt hominibus *τὴν φιλοστοργίαν φυσικὴν εἶναι*; qua de re multus fuit Cic. de fin. III, 19 et squ. quum praecipue ea officia quae ad hominum conjunctionem et congregationem pertinent e naturae quodam impulsu duxit; quamquam ea disputatio quam leviter et male tanquam obiter adjecta cohaereat cum antecedenti ethices universae expositione e transitu cernitur, quem facit prorsus futilem hunc: „pertinere autem ad rem arbitrantur natura fieri ut liberi a parentibus amentur."

Quam vero orationis Ciceronianae notamus levitatem ea revera ipsius sententiae est. Etenim incitamentorum illorum quibus impellimur et ducimur ut ajunt natura hoc est antequam ratio et scientia accesserit, neminem fugere potest quam ambigua sit si accuratius examinetur vis et auctoritas. Annon si sunt virtutum igniculi etiam contraria vitiorum invitamenta in eadem natura hoc est rudi illa quacum nascimur voluntatis materia contineri confitendum erit? Lubrica igitur sine dubio via ad virtutem pergentibus in qua consisti non posse Stoici et ipsi senserunt. Convenit autem fere ista sententia cum eo quod inter theologos vel defendi vel impugnari audimus, hominem natura esse bonum; in quo quantum veri quantumque falsi insit (nam mihi quidem illud ex utroque mixtum videtur) longum est exponere neque huc pertinet. Satis sit annotasse istam sententiam etiam dialectico acumine carere. Scilicet quum pro principio ethicae ponitur bonum esse quod sit secundum naturam, primum naturam per se totam atque integram explicatum iri exspectamus, ex qua deinceps boni sive virtutis notio repetatur; quum autem adjicitur ad virtutem nos ab ipsa natura invitari, tum apertum est disputationem ut ajunt in circulo versari neque quidquam proficere. Quamobrem quod ad invitamenta naturae

provocant quae si recte examinaveris in sensu haerent, id obiter faciunt et e sententia vulgari; quum autem philosophorum more agunt ipsius principii quod posuerunt acumine rem altius repetere coguntur. Quippe non sufficere viderunt quod unum vel alterum ad quos natura homines invitet fere tantum pro exemplo attulissent, verum ipsam naturae humanae proprietatem esse quaerendam. Quod quum faciunt relictis istis quorum et copia et auctoritas admodum dubia reperta esset primordiis, simul apparet naturam ipsam ad veriorem et ampliorem notionem augeri. Antea in sensuum obscurorum, caecorum impulsuum rudi quam supra diximus materia haerebat; nunc totum hominem complectitur, spectatum ut philosophi loquuntur teleologice hoc est e notione ejus ad quod natus sit; eaque vis est qua *φύσις* inde ab Aristotele in philosophia valuit. Haec complectitur illa quidem ea omnia elementa quibuscum nascimur; sed non ut per se digna verum ut ad finem altiorem perfectionemque virium tendentia. Antea primordia quaedam incerta necdum scientiae rationisque ope explicata intelligebantur malaque exsistebat inter naturam et rationem oppositio; nunc eadem *φύσις* simul et uno e conspectu in sese continet quum ea quae in nobis ferimus innata tum ea quae ex hisce tanquam elementis cultu, labore, contentione fieri debent; denique ut philosophorum vocabulis rem comprehendamus hominis essentiam et ideam.

Eam igitur qualem Stoici informaverint, jam exponendum est. Quo simul redimus in superiorem doctrinae cohaerentiam quoniam supra diximus hoc quaeri quale ad munus ex universi constitutione homo destinatus esse videatur; quod si sustineat naturae quum universae tum suae hoc est humanae convenienter vivere dici possit.

Quod promtissimum fuit repetere e gradatione animantium.

Unius spiritus per omnia quae exsistunt pertinentis variae sunt secundum Stoicos ut est apud Sextum Empir. adv. mathem. 9, 81 species et tanquam gradus; primus h. e. infimus *ψιλὴ ἕξις* ut in lapidibus, secundus arctiori vocabuli sensu *φύσις* sive vis generationis et nutritionis ut in plantis, tertius *ψυχὴ* ut in animantibus. Sed inter animantia tantum a ceteris diversus est homo quantum ab *ἀλόγοις ζώοις ζῶον λογικόν* (Plut. de soll. animal. 2, 8). Hic igitur *λόγος* h. e. ratio supremus accedit gradus in eorum quae exsistunt serie; de qua plura Krische theolog. Lehren der griech. Denker p. 383.

Ita quod comparatione reperitur, hominis peculiarem honorem in ratione situm esse, id deinde Stoici pluribus persequuntur quum historiam quandam hominis sive ejus viae qua ad perfectionem naturae procedat describunt. Quum enim eo contenderent ut uni rationi principatum vindicarent, promtum fuit ad animadvertendum talem hominem non nasci nec fieri sine contentione. Locus ad omnem disciplinam gravissimus quem non sine varietate quadam sententiae tradiderunt brevius, Diog. L. VII, 85 et Gellius N. A. XII, 5, 7, uberius Cicero in l. III de fin. parte prima; qui diversitatem quam cerni necesse fuit inter duo viae illius spatia, imperfectam aetatem et adultam, gravius et distinctius expressit quam reliqui. Apud Stobaeum hoc caput nusquam attingi mirum videri posset, nisi eum omnino magis singulas sententias quam cohaerentem aliquam doctrinam sectari constaret.

Simplicissima argumentatio apud Diog. est, quam hic gravissima quaeque describendo repetam. *Τὴν πρώτην ὁρμὴν τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτό, οἰκειούσης αὐτῷ*

(Madvig. ad Cic. l. l. III, 5; suppl. *αὐτό) τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς* (h. e. natura ipsum sibi ab initio conciliante; *οἰκειοῦν* autem est conciliare vinculo tanquam familiari quale est inter cognata) *καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν* (quod demonstrat hanc disputationem revera pertinuisse ad locum qui fuit *περὶ τέλους*) *οἰκεῖον λέγων πρῶτον εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὐτοῦ σύστασιν καὶ σύνδεσιν* („compagem;" sic recte Suidas probante Madvig. l. l., non *συνείδησιν*). Nam aut sibi conciliatum sit a natura aut abalienatum necesse est; posterius esse non potest; *ἀπολείπεται τοίνυν λέγειν συστησαμένην (τὴν φύσιν) αὐτὸ (τὸ ζῶον) οἰκείως πρὸς ἑαυτὸ* h. e. ita ut omnium partium concordia ad caritatem sui devinctum esset. Voluptas autem a prima illa appetitione non expetitur; sed si qua est *ἐπιγέννημα* sive posterum quiddam est, ortum *ὅταν τὰ ἐναρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ*, similiter atque animalia exhilarescunt et arbores virescunt. Est autem *σύστασις* illa sive constitutio in variis naturis varia, ita tamen ut superius quodque genus inferioris proprietatem in se contineat. Atque plantae quidem sine appetitu et sensu suam rem administrant; nec in nobis ipsis desunt quae ad stirpium naturam fiant. In animantibus autem quum accesserit appetitus sive *ὁρμὴ* cujus ope quae conveniant sibi comparent, in his quod naturae conveniens sit id administratur eo quod appetitus postulet. Jam vero *τοῦ λόγου τοῖς λογικοῖς ζώοις κατὰ τελειοτέραν προστασίαν* (e perfectiori praestantia) *δεδομένου, τὸ κατὰ λόγον ζῆν ὀρθῶς γίνεσθαι τούτοις* (Madvig. l. l. III, 7) *κατὰ φύσιν* (h. e. sequitur rationalia animantia secundum naturam vivere quum secundum rationem vivant); *τεχνίτης γὰρ οὗτος ἐπιγίνεται τῆς ὁρμῆς*. Ideo, jam concluditur, Zenonem finem posuisse in vita naturae convenienti.

Hanc ad expositionem princeps et summa se conservandi cura sive ἡ πρώτη ὁρμή, appetitio prima, non solum innata in hominis animo habetur, sed ipsum supremum officium constituit; quod enim demonstratur secundum rationem vivendum esse id ex ampliori illa cura per omnia regnante ducitur. Scilicet illa πρώτη ὁρμὴ ad tuendam quae cuique naturae sua ac propria data sit σύστασιν spectat; atqui humanae συστάσεως peculiaris praestantia ratione continetur; ergo rationis principatus ex ipsa illa ὁρμῇ quae prima ponitur sequi videtur. Sed statim ambiguitatem quandam ei conclusioni immisceri apparet quum postea eadem ὁρμὴ humiliori sensu accipitur hoc est eo quo eam quae proprie dicitur appetitionem significat quae hominibus cum brutis animalibus communis est ipsamque humiliorem ut ita dicam naturae humanae partem constituit. Nihilominus tantum negari nequit duplicitatem illam naturae humanae qua eadem appetitionem et rationem complectitur admodum leviter hic efferri; quippe appetitio materiam actionum omnem praebet, ratio eam materiam disponit, ordinat, format apteque artifex appetitionum dicitur, ut prope aestheticam quandam quam nostratium nonnulli appellarunt honestatem praecipi putes. Paulo variata sententia missaque quam notavimus ambiguitate alii auctores rem ita informant, ut conservationis studium tantum ad corporis commoda et ad imperfectam hominis aetatem pertinere, postea vero quum adoleverit tanquam nova et unice vera animi vis et potestas ratio surgere sibique imperium actionum vindicare cogitetur. Eo simul duplicitas appetitionum et rationis prope discordiae speciem nanciscitur. Apud Gellium l. l. Taurus ipse Stoicis non assentiens sed eorum sententiam exponens: ,,Natura, inquit, omnium rerum quae nos genuit induit nobis inolevitque in ipsis statim principiis quibus nati sumus amo-

rem nostri et caritatem ita prorsus ut nihil quidquam esset carius pensiusque nobis quam nosmet ipsi. Atque hoc esse fundamentum rata est conservandae hominum perpetuitatis si unusquisque nostrum simul atque editus foret harum prius rerum sensum affectionemque caperet quae a veteribus philosophis *τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν* appellata sunt ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret.“ Hic ut diximus apertum est conservationis studium solum referri ad *τὰ πρῶτα τῆς φύσεως*, ita autem appellari ea quae necessaria et convenientia sint ad constitutionem corporis; quum secundum Diogenem ipsa rationis majestas et imperium eodem principio nitatur; quamquam praecipua ad corpus relatio etiam apud hunc immiscetur, quum dicit: *οὕτω* (conservationis studio) *τά τε βλάπτοντα διωθεῖται καὶ τὰ οἰκεῖα προςίεται.* Gellius autem ita pergit: „Postea per incrementa aetatis exorta e seminibus suis ratio est et utendi consilii reputatio et honestatis utilitatisque verae contemplatio subtiliorque et exploratior commodorum delectus atque ita prae ceteris omnibus enituit et praefulsit decori et honesti dignitas, ac si ei retinendae obtinendaeve incommodorum extrinsecus aliquod obstaret contemtum est. Neque aliud esse vere et simpliciter bonum nisi honestum, aliud quidquam malum nisi quod turpe esset existimatum est.“ Sequuntur *ἀδιάφορα.* Quo e loco luculenter scripto certissime apparet hominem simul cum ratione adulta tanquam alteram vitam et simplici conservationis studio longe sublimiorem ingredientem cogitari.

Hanc rem Schleiermacherus in comparatione doctrinarum ethicarum pluribus locis luculenter attigit, veluti p. 59 quum inter industriae propugnatores, quos in summo rei moralis discrimine voluptatis patronis opponit, inter eos igitur

primo segregato eorum genere qui religiosam rationem in principium inferant, et deinde inter eos, qui in homine consistant, alteris distinctis qui unam in hominis natura voluntatem sive appetitionem vigere statuant, alteris qui duplicem, his proximis Stoicos adscribit his verbis: „So behaupten die Stoiker, dass wenn auch der anfängliche Zustand des Menschen keineswegs widersittlich sei, indem er etwa auf die Lust ausginge, sondern auch da schon die Thätigkeit sein Geschäft ist, nemlich die Selbsterhaltung, doch hernach erst die Vernunft als ein neues oder neu im Bewusstsein gefundenes hinzukommen müsse um ein neues, nemlich das ethische Leben zu bilden.“ Et deinde Stoicorum hanc sententiam comparans cum Fichtii: „Auch dieser setzt einen doppelten Trieb, wovon der letzte, nemlich der sittliche, abhängt von dem Gefundenhaben der Freiheit oder der Vernunft; auch wie jene vergnügt er sich an einer natürlichen Geschichte des Menschen in der vorsittlichen Zeit und seines Ueberganges aus dem einen Zustande in den andern.“

Fusius eam quam Schleiermacherus vocat naturalem, vocaveris autem etiam moralem, hominis historiam simul cum fine ad quem tendit enarravit Cicero l. l. Cujus enarrationis capita hic repetere a re plenius illustranda non alienum ducimus.

„Placet his, inquit Cato, quorum ratio mihi probatur, simulatque natum sit animal (hinc enim ordiendum est) ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum et ad suum statum eaque quae sunt conservantia ejus status diligenda; alienari autem ab interitu iisque rebus quae interitum videantur afferre.“ Statum vocat quam Diogenes *σύστασιν*, constitutionem Seneca; conservantia autem ejus status *τὰ οἰκεῖα*. Quod autem addit: „id ita esse sic probant, quod

ante quam voluptas aut dolor attigerit salutaria appetant parvi aspernenturque contraria,“ eo effertur quod supra Schleiermacherum recte dicere audivimus, hominis naturam statim a principio actuosam esse, non voluptatis appetentem; ut paene e superfluo addatur §. 17: „In principiis autem naturalibus plerique Stoici non putant voluptatem esse ponendam.“ Haec attingunt severiorem et mitiorem inter ipsos Stoicos sectam, quarum discrimina per totam disciplinam observantur. Severioris patronus Cleanthes secundum Sext. Empir. adv. mathem. XI, 73 voluptatem asseveravit *μήτε κατὰ φύσιν εἶναι μήτε ἀξίαν ἐν τῷ βίῳ.* Porro apud Ciceronem inter ea quae natura prima adsciscantur referuntur et rerum cognitiones et artes quippe quas utrasque assumendas putemus etiamsi nostri nihil intersit; nihil autem magis contra naturam esse quam falsam assensionem. Ita etiam recti et falsi distinctionem a principiis naturae derivarunt, adducti rationibus logicis quum cognitionum origine ad res in animis se imprimentes relata de norma veri et falsi invenienda laborarent; qua de re laudo Ritterum III, p. 540 squ.

Itaque quae aut ipsa secundum naturam sunt aut tale quid efficiant quod selectione dignum sit hoc est conservantia status humani aestimabilia sive *ἀξίαν* habentia dicuntur, contraria inaestimabilia s. *ἀνάξια* (l. l. c. 6, §. 19—20). „Initiis igitur ita constitutis ut ea quae secundum naturam sunt ipsa propter se sumenda sint contrariaque item rejicienda, primum est officium (id enim appello *καθῆκον*) ut se conservet (homo) in naturae statu deinceps ut ea teneat quae secundum naturam sint pellatque contraria. Qua inventa selectione et item rejectione sequitur deinceps cum officio selectio, deinde ea perpetua, tum ad extremum constans consentaneaque naturae; in qua primum inesse incipit et intelligi

(Madvig.) quid sit quod vere bonum possit dici.“ Haec singulatim describunt adolescentem et per varios gradus surgentem rationem; quamquam non sine ea verborum confusione et difficultate quae apertissime scriptorem cum rei obscuritate pugnantem arguit; recte saltem Madvigius judicat Ciceronem officii nomen prius quam ubi appareret posuisse. Idem rem explicans „primum, inquit, haec selectio fit naturali quodam instinctu et impetu ut in parvis, deinde quum processum nonnihil est intelligitur cur quidque seligatur rejiciaturve atque statuitur sic esse agendum. Ea jam est cum officio selectio cujus probabilis ratio reddi potest (l. l. § 58).“ Atque hi duo profecto gravissimi viae quam hic persequimur gradus sunt, quos Cicero in plura momenta dilatando minus distincte extulit. Inventam autem quam Cicero dicit selectionem interpretor non cum Madvigio a philosophis inventam naturae progressum investigantibus, sed ab homine, qui etsi eam insitam habet tamen postero demum aliquo temporis momento invenit h. e. scientia comprehendit; de qua inventione conferas in verbis Schleiermacheri supra descriptis „das Gefundenhaben der Freiheit.“ Pergentem autem jamjam ad principatum magis magisque absolutum rationem sic Cicero persequitur: „Prima est enim conciliatio hominis ad ea quae secundum naturam sunt. Simul autem cepit intelligentiam vel notionem potius quam appellant *ἔννοιαν* illi viditque rerum agendarum ordinem et ut ita dicam concordiam: multo eam pluris aestimavit quam omnia illa quae prima dilexerat atque ita cognitione et ratione collegit ut statueret in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum. Quod quum positum sit in eo quod *ὁμολογίαν* Stoici nos appellemus convenientiam si placet: quum igitur in eo sit id bonum quo omnia referenda sunt honeste facta

(recens. Madv.) ipsumque honestum quod solum in bonis ducitur, quamquam post oritur, tamen id solum vi sua et dignitate expetendum est: eorum autem quae sunt prima naturae propter se nihil expetendum.“ „Quum vero illa quae officia esse dixi proficiscantur ab initiis naturae, ea ad haec referri necesse est: ut recte dici possit omnia officia eo referri ut adipiscamur principia naturae: nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum propterea quod non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio. Consequens enim est et post oritur ut dixi. Est tamen ea secundum naturam multoque nos ad se expetendam magis hortatur quam superiora omnia.“ §. 23: „Quum autem omnia officia a principiis naturae proficiscantur, ab iisdem necesse est proficisci ipsam sapientiam. Sed quemadmodum saepe fit ut is qui commendatus sit alicui pluris eum faciat cui commendatus sit quam illum a quo sit, sic minime mirum est, primo nos sapientiae commendari ab initiis naturae, post autem ipsam sapientiam nobis cariorem fieri quam illa sint a quibus ad hanc venerimus.“

In hac enarratione et quasi quadam phaenomenologia sapientiae ut singulis omissis tantum quod caput est efferamus omnes sentiunt quam graviter adulta aetas qua jam ratio principatum obtinuit distinguatur et separetur ab antecedenti quae solo status conservandi studio innato regitur. Quippe princeps illa appetitio (ad quam Cicero §. 18 artes et rerum cognitiones fortasse non sine errore quodam retulit) postea etsi non verbis tamen sententia restringitur ad vitae commoda sive quae vocant bona externa, sumenda illa et seligenda, non expetenda, ληπτά, non αἱρετά, ut est ap. Stob. p. 132. In primis autem naturae conciliationibus instinctu tantum quodam valentibus honesta actio non inest; inest demum in certa voluntate atque industria naturae et rationis

legibus obtemperante. Nihilominus etiamsi ut Diogenes facere videtur status conservandi studium ampliori sensu interpretemur ut id non abjiciendum esse postero quodam tempore sed potius rationis principatum ex odem studio ductum et derivatum statuamus, id eodem redibit; quoniam in illa ipsa constitutione vel *συστάσει* hominibus propria eum locum obtinebit ratio ut humiliorem illam *ὁρμὴν* in omnibus animalibus vigentem et corporis tantum commodorum appetentem longe relinquat; quippe quae ejus constitutionis non solum pars sit praestantissima verum ipsa proprietas et honor peculiaris. Annon etiam Ciceronis in expositione quamvis graviter maturior aetas supra immaturam efferatur tamen et honesta actio secundum naturam esse et sapientia a principiis naturae proficisci dicitur? Ut paulo severius de primae appetitionis dignitate judicasse videantur et Madvig. ad §. 21, ubi transitus describitur ad convenientiae intellectum, quum „sic, inquit, caecum impetum primi illius appetitus et amoris sui omittebant qui singulorum commodis recturus videbatur“ et Ritterus III, p. 624: „Es musste auf diese Weise etwas Selbsüchtiges in ihre Lehre kommen;“ minime enim sane ille sui conservandi appetitus intelligi potuit pravus amor sui, „atrox tyrannus“ (ut est apud poetam quendam) et omnium vitiorum creator; non enim is est quo sibi quisque commoda quam maxima adsciscat, ceteris invideat, sed quo naturam suam et constitutionem, eandem illam in omnibus insitam, tueatur; qui ut recte ait Schleiermacherus etsi non est honestus tamen non est inhonestus. Sive igitur rationis vis et dignitas ex ipso generaliori sui conservandi officio ducatur sive ut nova facultas et quasi divinitus in hominis animo surgere et principatum obtinere informetur, sive denique ut rem simili componamus veluti Jupiter e Saturno genitus ipsum ab

imperio depulsit ita ratio a prima appetitione quidem genita et nutrita mox matre potentior et excelsior facta sit, eodem illa et clarissimo lumine effulget. Omnesque illae enarrationes phaenomenologicae eodem contendunt ut demonstretur quod in suae expositionis conclusione Diogenes ponit: *τοῖς ἀνθρώποις τὸ κατὰ λόγον ζῆν γίγνεσθαι κατὰ φύσιν.* Naturam humanam quam sequendam Stoici praecipiunt intelligi volunt rationalem. Bene Seneca ep. 76: ,,Hominis summum bonum ratio est; hanc si perfecit laudabilis est et finem naturae suae attigit.“ Cic. de fin. IV, 11: ,,Chrysippus autem exponens differentias animantium ait alias earum corpore excellere, alias autem animo, nonnullas valere utraque re; deinde disputat quod cujusque generis animantium statui deceat extremum. Quum autem hominem in eo genere posuisset ut ei tribueret animi excellentiam summum id constituit non ut excellere animo sed ut nihil esse praeter animum videretur.“ Naturam igitur interpretatur ad vim excellentem partemque excelsiorem. Ideo *τὰς ἀρετάς φασι τὰς αὐτὰς εἶναι τῷ ἡγεμονικῷ μέρει τῆς ψυχῆς* ap. Stob. 114 et item secundum Diog. VII, 94: *τὸ ἀγαθὸν ἰδίως ὁρίζονται τὸ τέλειον κατὰ φύσιν λογικοῦ ὡς λογικοῦ;* quippe et virtutis et boni definitio apta fuit e sententia principali *περὶ τέλους.*

§. 6.

Haec quum colligimus nunc demum ad principii ejus de quo agimus interpretationem certam et definitam pervenisse nobis videmur. Natura quam quaerebamus quaeque quo amplior esset latiusque pateret eo difficilior esse videbatur ad describendum, jam ex ambiguitate notionis in certam vim et

potestatem cessit et eam quidem qua quum universam tum particularem pariter comprehendat. Rationem audire quum jubemur de certa omnes animi potestate cogitamus, cujus vocem non ex hac rerum universitate exspectare et fortasse frustra exspectare cogamur, verum quam in se ipso quisque sentiat, haec jubentem, vetantem contraria. At in eadem illa ratione si res acutissime definiatur, omnis mundi natura continetur. Mundus ex iis quae supra exposuimus animans mente vigens et ratione. Quod si quis penitus examinare velit quale sit nihil aliud esse reperiat quam rationis vim et praestantiam ex hujus corporis angustia solutam, ad universi ordines translatam, pro divina, quin pro deo positam. Rationem igitur quum sequemur, simul universae naturae et nostrae convenienter vivemus, pergentes ad id quod pro summo praedicantem Chrysippum audivimus, ut genius in singulis habitans concinat cum voluntate rectoris supremi.

Nihilominus operae nostrae magna pars deesse judicaretur, si in hac interpretatione acquiescendum esse putaremus. Quamvis enim verum et decorum illud pro principio positum rationem sequi multis fortasse videatur, nihilominus fieri posset, si eo capti rem cum laude et approbatione concludere vellemus, ut de vera disciplinae Stoicae dignitate magnopere falleremur. Pergendum potius ita est ut quaeramus qualis laudata illa ratio reperiatur, si ejus vis et efficacitas spectetur in vita et moribus conformandis.

Atque primum quidem quod est quodammodo de forma actionum vita quae a ratione conformabitur ab ea aetate qua ejus lumen nondum adcensum esset eo differet quod jam quaecunque agentur agentur consilio. E consilio enim vivimus simulatque appetitionis primae et instinctus imperio soluti sumus; consilium autem nascitur intelligentia et voluntate.

Ideo Cato „simul autem cepit intelligentiam" et reliqua quae descripsimus p. 41; et Cleanthes ap. Senecam de benef. VI, 11: „voluntas est quae apud nos ponit officium."

Jam autem consequens fuisse putes ut e generali praecepto singula ducerentur sive ut ratio illa in motum et tanquam flumen transiret ex quo omnis virtutum officiorumque varietas gigneretur. Stoici illi potius rigiditatem quandam vindicare et quam semel tantum super sensum extulissent eam ab eodem dura oppositione separare voluisse videntur; veriti opinor ne quantum admisissent varietatis tantum detraxissent majestati. Homo, si Stoicos audias, aut est in usu rationis, aut non est; ante quam eo pervenit, nullius virtutis ullo modo particeps, quum primum pervenit, omnium plene et perfecte. In primis naturae conciliationibus honesta actio non inest; quippe voluntas et intelligentia non insunt; contra a sapiente quidquid proficiscitur id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus, ut est ap. Cic. de fin. III §. 32; „quoniam quae proficiscuntur a virtute susceptione prima non perfectione recta sunt judicanda." Quid mirum omnem virtutum varietatem ad idem redire? Quippe quae ideo tantum virtutes habeantur, quod nascantur ex intelligentia; intelligentia omnium pariter fundamentum. Communia habent *τὰ θεωρήματα* (Stob. p. 110. Diog. L. 125. Plut. de Stoic. rep. c. 27); *διὸ ἀχωρίστους εἶναι· τὸν γὰρ μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν καὶ τὸν κατὰ μίαν πράττοντα κατὰ πάσας πράττειν.* Et ap. eund. Stob. p. 196: *πάντα τὸν ἀγαθὸν καὶ καλὸν ἄνδρα τέλειον εἶναι λέγουσι διὰ τὸ μηδεμιᾶς ἀπολείπεσθαι ἀρετῆς.* Hoc profecto si ita est plane consequens censere (v. l. l.) *δύο γένη τῶν ἀνθρώπων εἶναι τὸ μὲν τῶν σπουδαίων, τὸ δὲ τῶν φαύλων· καὶ τὸ μὲν τῶν σπουδαίων διὰ παντὸς τοῦ βίου χρῆσθαι ταῖς ἀρεταῖς κτλ.* Quamobrem igitur variae

virtutes tam argute et copiose definiuntur? Propter eruditionem puta et traditionem doctrinae quam dialecticae ope quam plenissime instructam et exstructam praestare vellent. Ut autem virtutes sic actiones dummodo e sapientis consilio proficiscantur aequaliter atque statim ab initio perfectae sunt. *Κατορθώματα*, sic appellantur recte facta, omnes virtutis numeros continent ut est ap. Cic. l. l. §. 24. In singulis igitur factis adest plena rationis et voluntatis perfectio ut qui unum recte fecerit cetera quoque omnia recte facturus sit; quoniam sola spectatur susceptio prima. Quid mirum quod omnia recte facta aequaliter recta contraria *ἁμαρτήματα* aequaliter prava habentur? Denique idem illud secundum rationem vivere e boni notione spectatum quod honestum eo ipso solum bonum judicatum est. Idemque finis ut varietatis nihil, sic ne crescendi quidem ullam admittit accessionem. Cic. l. l. §. 45 et squ.

Animadvertamus ejusmodi placita quo tendant. Quippe quod in rebus agendis quum situm sit in rationis et voluntatis constantia dicas universale actionis momentum, id solum et gravissime premitur atque urgetur; particularia momenta, varietas, commotio, progressus a rationis illius majestate et austeritate removentur; ut verearis ne rationem a reliquis humanae naturae momentis separatam vel quod dicunt abstractam accepisse reperiantur. Reperientur autem quo altius placita moralia quae ex illo principio apta fuerunt introspexerimus. Rationis principatus quo severius et durius supra cetera extollitur, eo minus idoneus esse reperitur ad vitam novam ex sese gignendam fructumque producendum humanitatis.

Bonum nihil esse severe contenditur paeter honestum h. e. voluntatem cum ratione convenientem; praeterea neque

opera neque res externas. Atque bonum illud appellatum est non e comparatione cum ceteris sed vi prorsus peculiari. Virtutis aestimatio nihil commune habet cum rerum aestimatione; genere, non magnitudine ab ea sejuncta est (Cic. l. l. §. 34). Valetudinis ut hoc utamur aestimatio spatio judicatur, virtutis opportunitate (l. l. §. 47). Hoc illud est quo cunctis reliquis artibus praestat sapientia; in quibus aut foris petitur extremum, id est artis effectio, aut certe in iis quae recte facta sunt non continentur tamen omnes partes e quibus constant; sola sapientia sec. Cic. l. l. §. 24 in se tota conversa est. At talem sapientiam in sese totam conversam et singula quaeque rerum agendarum momenta a majestate sua arcentem sponte judicabimus fructum ferre non potuisse. Neque tulit. Actionum singularum officiorumque in hominum vita et consuetudine valentium movimenta quum ratio illa austera e suis copiis non gigneret, repetere Stoici coacti sunt ex eo genere quod antea ut indignum et ab honesta actione separatum abjecissent. Iidem qui a superba sapientiae specula praeter voluntatis rationi obtemperantis constantiam reliqua omnia ut *ἀδιάφορα* despexissent, nihilominus quum in vitam atque consuetudinem hominum descendissent actionum discrimina a rerum discriminibus duxerunt. Vetuit quidem Ariston, auditor Zenonis; quem qui secuti sunt reliquerunt. Ipsi autem quamobrem necesse sit fatentur: „quam (rerum differentiam), Cato inquit l. l. §. 50, si nullam esse diceremus, et confunderetur omnis vita ut ab Aristone, neque ullum sapientiae munus aut opus inveniretur, quum inter eas res quae ad vitam degendam pertinerent nihil omnino interesset neque ullum delectum adhiberi oporteret. Itaque quum esset satis constitutum id solum esse bonum quod esset honestum et id malum solum quod turpe, tum inter illa quae nihil valerent

ad beate misereve vivendum aliquid tamen quo differrent interesse voluerunt ut essent eorum alia aestimabilia alia contra alia neutrum.“ Vide quaeso quantum concedant: nisi ex hac rerum differentia non potuisse ullum inveniri sapientiae munus aut opus. Nihilominus alias ea quae circa indifferentia a sapiente agantur a sublimiori actionum genere separari videntur. Quae in rebus seligendis rejiciendisve ita agantur, ut facti ratio reddi possit probabilis, ea ad angustiorem vocabuli interpretationem vocantur *καθήκοντα* et proprie media (Cic. l. l. cap. 17 et 18). Seliguntur ut satis pervulgatum *τὰ προηγμένα*, rejiciuntur *τὰ ἀποπροηγμένα*. Jam vero si praeter hanc differentiam nullus sapientiae ad agendum campus invenitur, quae tandem reliqua sunt officia quae *κατορθώματα* appellentur? Stobaeus, p. 158 *τὸ καθῆκον* omnino definit *τὸ ἀκόλουθον* (convenienter factum) *ἐν ζωῇ ὃ πραχθὲν εὔλογον ἀπολογίαν ἔχει· τοῦτο δὲ διατείνειν και εἰς τὰ ἄλογα τῶν ζώων, ἐνεργεῖ γάρ τι κἀκεῖνα ἀκολούθως τῇ ἑαυτῶν φύσει.* Jam vero *τῶν καθηκόντων τὰ μὲν εἶναί φασι τέλεια ἃ δὴ καὶ κατορθώματα λέγεσθαι·. κατορθώματα δ' εἶναι τὰ κατ' ἀρετὴν ἐνεργήματα οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν· οὐκ εἶναι δὲ κατορθώματα τὰ μὴ οὕτως ἔχοντα ἃ δὴ οὐδὲ τέλεια καθήκοντα προςαγορεύουσιν ἀλλὰ μέσα οἷον τὸ γαμεῖν, τὸ πρεσβεύειν, τὸ διαλέγεσθαι, τὰ τούτοις ὅμοια.* Quae si accurate examinantur apparet eadem officia quatenus tantum cum probabili ratione agantur nude officia haberi, recte factorum dignitatem assequi quum proficiscantur a constanti voluntate sapientis. Mira ac proprie absurda duritate singulae actiones per se spectatae veluti *τὸ γαμεῖν* inferiores habentur genarali agendi ratione quam potius putes vi sua et efficacitate singula quaeque conformare debere, sin minus omnino non cerni.

Quid autem sit quo illa *ἀξίαν* habentia sive *προηγμένα* dijudicentur, docet Stobaeus p. 160, Catonis enarrationi supra laudatae congruenter ita: *παραμετρεῖσθαι δὲ τὸ μέσον καθῆκον ἀδιαφόροις τισί, καλουμένοις γε κατὰ φύσιν καὶ παρὰ φύσιν, τοιαύτην δὲ εὐφυΐαν προςφερομένοις ὥστε μὴ λαμβάνοιμεν αὐτὰ ἢ διωθοίμεθα ἀπερισπάστως μὴ ἀνευδαιμονεῖν* („sine damno felicitatis" — sed verba corrupta sunt de quo v. Heeren. et Madv. ad III, §. 60). P. 144 eadem vocantur *τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν καὶ παρὰ φύσιν* (cf. Gell. l. l. p. 38). Enumerantur autem e *τῶν κατὰ φύσιν* numero et ex ea quidem specie quae ad animum pertineat p. 146 *εὐφυΐα* (ingenium) *προκοπὴ* (progressus in virtute) *μνήμη, ὀξύτης, διάνοια, ἕξις καθ' ἣν ἐπίμονοί ἐσμεν ἐπὶ τῶν καθηκόντων καὶ τέχναι ὅσαι δύνανται συνεργεῖν ἐπιπλεῖον πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον* — bona quis neget? summi aestimanda et quod ipsi confitentur ad vitam naturae convenientem multum conferentia; neque eo minus ab iis ipsis a quibus naturae convenire summum haberetur pro inferioribus a fine bonorum sejuncta! Quam incongruentiam nisi ex eodem errore generali atque inanem officiorum et recte factorum discriminationem, non haberem unde repeterem. Nunc hoc et ipsum inde repeto quod per totam hanc disciplinam universale actionum momentum non inesse in particularibus ut quae e se gignat quaeque permeet, sed iis opponi reperio ut superius inferioribus. Sic enim praeposita quamvis secundum naturam esse dicerentur contemta sunt quod non continerent actionem honestam; mera susceptio sapientiae per se laudatur, voluntas animi et ratio. Quidquid est ex iis quae habere homines dicuntur, etiam animi facultates praestantissimae inter indifferentia ponuntur; hoc unum quaeritur ut quoque temporis momento actuosus et praeparatus reperiaris ad

sequendum quod semel statueris. Nihilominus postea necesse esse sentiunt ut aliquid pretii tribuatur utque a ratione redeatur ad primam appetitionem. Susceptionis altitudo paene exit in humilitatem. Quippe ratio ista Stoicorum quoniam a reliqua natura hominis neque minus a communi hominum vita separata ideoque gignendi vi ut ita dicam destituta, quamvis alta verbis profiteatur, reapse muneris nihil majus reperit quam hoc ut quae a prima appetitione petantur ad certam normam dirigat, et quae natura sua generis humani salutem spectat hic ubi efficax esse coepit tanquam a fastigio frustra affectato relapsa in eam partem detrahitur qua in se quisque conversus est. Qualem autem ad insolentiam ea via quam semel ingressi essent deducti sint si non tota disciplina nonnulla placita demonstrarent, quibus turpissima quaedam et a quibus humana natura vel maxime abhorreat inter ἀδιάφορα ponuntur (v. Ritter. p. 647). Denique quum sola fere forma actionum spectetur jacet omnis materia disciplinae moralis parum conformata e principii altitudine.

Quale autem hoc sit quod nos quum ad hunc disciplinae locum perventum est desiderare nos profitemur, melius nostris illustrabunt verba Schleiermacheri p. 146 et squ. „Entweder wird der sittliche Trieb als allein alles bestimmend oder neben ihm noch ein anderer zugelassen. Im letzteren Fall entstehen die Mitteldinge.“ — p. 147. „Die vorzuziehenden Dinge bei den Stoikern — — sind dasjenige was, man bestimme es so oder anders, die Sittlichkeit weder vermehrt noch vermindert, sondern nur die Oberfläche ihrer Erscheinung gleichsam färbt und verändert. — Ein in der wissenschaftlichen Ethik ganz unstatthafter Begriff, welcher die Stetigkeit des sittlichen Lebens stört und die Wahrheit der ethischen Ideen überhaupt verdächtig macht, indem er ver-

hindert, dass diese sich nicht durchgängig bewähren können. — (p. 149) Auf alle Weise wäre es also eine Verbesserung gewesen in der Lehre seines Meisters welche Ariston einführen wollte, indem er behauptete es dürfe wo das Gute stattfinden solle, auch gar kein Trieb stattfinden und keine Bewegung des Gemüths auf dasjenige was zwischen der Tugend liege und dem Laster. — Die Ethik als Wissenschaft kann nicht bestehen wenn sie nicht das Recht wie die Pflicht hat das Ganze des menschlichen Handelns zu umfassen."

§. 7.

Antequam autem examinationem in quam prope jam expositionis via sponte traduxit penitus instituamus, commemorare restat principium de quo agimus disciplinae Stoicae quod adhuc ad principum ejus sectae sententias explanavimus quatenus a posterioribus sive servatum sive commutatum sit. Quod exponere hoc ipso loco eo aptius esse videtur, quo arctius conjunctum est cum capite proximo. Quod enim nos, idem fere jam Stoicorum aequales Peripatetici et Academici, illorum doctrinam quum acumine dialectico impugnarent multum et acriter arguerunt: quum principium repetivissent a natura, mire eosdem deinceps non totum hominem spectare et praeposita quae dicerentur a quibus principia actionum repeterent ipsi, nihilominus a fine bonorum separare. Ejusmodi trecensiones qui plenius cognoscere et accuratius examinare velit, ei Ciceronis de fin. libri IV et V adeundi sunt; huc tantum commemorare pertinet, posteriores Stoicos iis animadversionibus aliquantum concessisse et ad ipsorum Peripateticorum rationem propius se applicuisse videri.

Commune illud *τὸ φύσει ὁμολογουμένως ζῆν* secundum Diog. L. et Stob. ll. ll. interpretati sunt Diogenes Babylonius: *τὸ εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ (καὶ ἀπεκλογῇ* — Stobaeus addit — intell. *τῶν παρὰ φύσιν)*; Archedemus: *τὸ πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντα ζῆν;* Antipater Tarsensis (auct. Stob.) tum: *ζῆν ἐκλεγομένους μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπεκλεγομένους δὲ τὰ παρὰ φύσιν διηνεκῶς;* tum: *πᾶν τὸ καθ' αὑτὸν ποιεῖν διηνεκῶς καὶ ἀπαραβάτως πρὸς τὸ τυγχάνειν τῶν προηγουμένων (= προηγμένων) κατὰ φύσιν.* Hic vides grave illud discrimen quo ex antiqua disciplina primae naturae conciliationes ab honestis actionibus, praeposita a bonis, officia a recte factis separari reperimus, fractum et deletum; quaeque antea tanquam accessio quaedam sapientiae annecteretur, selectio et rejectio, ea jam pro ipso et unico sapientiae munere ponitur. Coegerunt rationes dialecticae; veram disciplinae gravitatem nihilominus qui examinare velit sic admodum diminui reperiat.

Atque hoc loco apparet quod supra notavimus Ciceronem antiquiorem sententiam e posteriorum ratione interpretatum esse. Illam enim severa honesti et officiorum distinctione insignem quum in prima disputationis parte ipse vel maxime secutus esset dixissetque §. 22 officia quidem omnia eo referri ut adipiscamur principia naturae nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum, nihilominus postea § 31 Chrysippi interpretationi quae est vivere scientiam adhibentem earum rerum quae natura eveniant continuo adjecit: „seligentem quae secundum naturam et si quae contra naturam sint rejicientem id est convenienter congruenterque naturae vivere" in quibus duas interpretationes altiorem (Chrysippi) alteram alteram (Diogenis vel Antipatris) humiliorem misceri et sine interno necessitudinis vinculo connecti mihi quidem apertum esse videtur.

Recordantibus autem ab antiquis Stoicis quum sapientiam separent ab eorum quae secundum naturam sint delectu haec maxime intelligi commoda externa verisimile videbitur posteriores quum eam separationem si non mitterent saltem laxarent et minus premerent etiam in eorum quae secundum naturam vel prima naturae esse dicerentur magis se applicuisse ad Peripateticorum qui post Aristotelem exstiterunt doctrinam. Si enim totum hominem spectantes *τὰ κατὰ φύσιν* interpretabantur omnia ea quae ad integram naturae humanae constitutionem pertinere reperirentur. Idque ii Stoici de quibus nunc agimus et ipsi fecisse putandi sunt; eo enim eos delapsos esse ut in commodis quae vocantur appetendis finem bonorum esse docerent quis statueret? Ceterum duplicem *τῶν πρώτων κατὰ φύσιν* sententiam parum a Cicerone perspectam parumque distinctam jure notavit Madvig. in excursu ad l. l. IV.

Unum autem genuinae sententiae momentum ne ab his quidem neglectum est: hoc dico quod non in ulla delectatione sed in continua animi contentione finis naturae humanae ponitur. Non nactum esse quae sint secundum naturam iisque jamjam frui cum otio et quiete, verum continuo et sine ulla intermissione laborare viresque contendere ad illa comparanda ultimum habetur. Nec temere premit Antipater illud suum *διηνεκὲς καὶ ἀπαράβατον* ut quo eadem morum aequalitas consiliorumque firmitas postuletur quam Zenonem imprimis spectasse supra exposuimus.

De Panaetio autem et Posidonio quid jam dicam? Qui quum in reliquis tum in morali philosophia eo potissimum a superioribus discesserunt quod et ad communem hominum usum, relicta Stoicae disciplinae quae esse videretur asperitate, magis magisque se applicarent et ad illustriores superio-

rum temporum fontes redirent unde suos rivulos innutrirent. Atque Panaetium quidem, si fides est loco tam apertis quod ad superiores Stoicos attinet erroribus laboranti, Clemens Alexandr. strom. II, p. 116 finem posuisse auctor est *τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν τῆς φύσεως ἀφορμάς,* quod Ritterus III, p. 683 jure ambiguum vocavit. Eadem enim ratio est quam ineunte §. 5 quum de humana natura disputaremus commemoravimus ut parum definitam et certam; quippe quam relinquendam esse appareret simulatque ad appetitionum et rationis certamen respectum esset. Quantum autem praeterea cum veteribus Stoicis commune fuisse putabimus ei, qui et virtutem ad beate vivendum se contentam esse negaverit et voluptatum unum genus statuerit quod cum natura conveniret? Posidonium vero quod idem Clemens principium fecisse tradit *τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν,* id si vere traditum est videri quidem potest omnem sententiarum Cleanthis et Chrysippi altitudinem referre, ab eo tamen dictum quem in ceteris totum Platoni et Aristoteli deditum fuisse constet verbis magis quam sententia Stoicum esse reperiatur.

Secuta sunt tempora quibus qui philosophi et haberentur et haberi vellent acquiescerent in aptissimis quibusque sententiis colligendis, conciliandis, ad vitae usum et consuetudinem applicandis. Quippe philosophia quod pro antiquae aetatis genio summum praestare concessum fuit id postquam praestitit, inventionis vi et ubertate magis magisque deficiente, cessit aut in eruditionem quae in principum doctrinis explorandis versaretur aut in paraenesin, si ita vocare licet eorum studium qui propter animorum morumque emendationem philosophiam foverunt.

Mihi hic insistendum puto. Nam et genuinam sectam

potissimum persequi volui nec de principio quaerenti omnis definitionum, divisionum, praeceptorum copia promenda fuit. Cujus magnam partem diu judicarunt viri docti non tam e principii fonte deductam quam propter eam de qua modo dixi eruditionem adductam esse videri. Mihi autem ipsius principii explanatio et quasi via persequenda fuit; ad quam reliquam doctrinam annectere et facillimum foret nec principium ipsum ad illustrandum multum conferret.

§. 8.

Unum restare videtur ut quod exposuimus disciplinae moralis principium id ad veritatis normam examinemus et dijudicemus. Nam sic demum historiae philosophicae exploratio et suum opus perficiet et philosophiae ipsi fructum feret, si primum tradita diligenter exposueris, deinde vero eorum quae inveneris dignitatem et veritatem judicii acumine examinaveris. Itaque jam ipsa expositio examinationem praeparare debuit. Principii enim illius vim et sententiam dum persequimur quo longius gradum protulimus eo magis apparere necesse fuit, quibus illud in partibus parum satisfacere reperiretur.

Peractum igitur cursum cogitatione mecum repetenti discrimen quoddam se obtulit gravissimum et quod judicium laturis duplicem rationem demonstrare videretur. Recordemur enim viae quam in expositione secuti sumus; qua ita perreximus ut ipsius principii tanquam historiam describentes a prima susceptione profecti gradatim ad definitiores sententias perveniremus. Ejus igitur viae quam inter se discrepent si dignitas spectetur initium et exitus, omnes mecum sensisse

puto; quum eadem sententia ab initio magnum atque excelsum animum referre, in exitu ad humilia paene studia delabi reperiretur. Quod si quid veri suspicor in multis evenit principiis quae vocantur philosophicis ut diversam speciem et tanquam faciem praebeant quum a primae susceptionis et quum a consequentium placitorum parte spectentur. Nam uti fit si quid cogitatione conceperis id primo in finibus versatur parum circumscriptis et propterea multo plures habebit assentientes, quam posteaquam procedente cogitatione in certiorem et angustiorem sententiam cesserit. Quod in Stoicis ut usu veniret peculiaris causa accessit. Quod enim praecipitur naturae convenienter vivendum esse, id jam supra monuimus non in se conclusum esse sed aptum ab illius ad quam referatur naturae notione, quam perinde atque informaveris diversa efficietur ipsius principii sententia. Duas igitur etiam in hac examinatione sententias distinguamus, generalem priorem et quam a principio conceptam putamus, posteriorem peculiarem et e certa naturae notione definitam.

Quod igitur pro principio ponitur, naturae convenienter vivere id tam late pertinet ut nullum philosophum exsistere vel exstitisse putares qui contrarium sibi placere profiteretur. Quid enim majus cogitari quidve amplius homini praecipi potest quam hoc ut eas leges e quibus universum consitutum est imitetur quodque ex his legibus ad se pertinere munus intellexerit id suscipiat et exsequatur sive ut id perficiat ad quod a divina voluntate destinatus est? Ita enim et Stoici illud interpretati sunt nec quisquam aliter omnino et rectius explicaverit. Quoniam autem cujusque rei proprietas maxime cernitur quum componitur cum contraria, quaeramus num omnino et si qua qualis statui possit vivendi regula quae huic opposita sit. Videmur autem quum primum eo in vita perve-

nimus ut naturam sequi decernamus, eodem momento abjicere alterum, sequi tradita. Ac profecto quam unam ab eo tempore sequi statuimus naturam ad eam provocamus a quarumvis traditarum institutionum auctoritatibus; non quasi has proinde evertendas putemus sed caecam observantiam repudiantes neque in futurum si quas ex illis colere pergamus propter id ipsum quod traditae sint sed quod naturae conveniant culturi. Scilicet ab auctoritatibus sic apti sumus ut ne quaerentes quidem cur quidque agamus sequamur; valent enim in animis addubitare earum veritatem nunquam ausis; naturam quum appellamus nihil agendum esse censemus quod non e scientia ejus ad quod destinati sumus h. e. recti ac veri proficiscatur. Scientem cur quaeque fieri debeant hoc est naturae convenienter vivere; quoniam natura h. e. idea hominis quid postulet non comprehendimus nisi scientia; nec temere Chrysippus in interpretationem suam inseruisse videtur illud *κατ' ἐμπειρίαν*.

Jam non mirabimur quid fuerit quod proximo potissimum saeculo tot tantique viri ad naturam nimis diu neglectam atque adeo depravatam redeundum esse generi humano clamarunt. Stoici autem post adultam Graecorum humanitatem nati quum hoc praeceptum summum facerent vix aliud quidquam elocuti sunt atque quod jam Socrates voluisset, quum contra traditorum auctoritatem a sophistis fractam scientiam veri et honesti poneret. Illic cum hoc principio novam aetatem ortam, hic senescentem conclusam dicas.

Quid plura? Naturae convenienter vivere vel omnes quum primum mentes dispexerunt semel in perpetuum constituimus. At ingens sequitur animorum contentio sententiarumque discrepantia quum deinceps quae sit naturae illius vis et voluntas definiendum est. Atque hic vereor ne cerna-

tur disciplinae Stoicae, si severe judicandum sit, inanis altitudo.

Nam primum qualem morum disciplinam convenire putabimus ei doctrinae quae rerum natura informetur ad speciem mentis miro modo per materiam fusae et mixtae? Duplicem convenire arbitror. Mens enim illa per mundum effusa aut ea cogitabitur cujus immani ut ita dicam in flumine singulorum mentes demergantur et intereant, aut ut sic vel maxime humanarum mentium honor et sublimitas augeatur. Aut desperabimus superioris potentiae necessitate toti obstricti, aut modum egrediemur confidentiae, nosmet ipsos singulos singulis rati diis aequales. Atque homo Stoicus quidem tantum abest ut se nihili esse putet ut mortalem sui partem quo certius videt fatorum necessitati obnoxiam immortalem eo altiorem ad honorem evehat. Universi mentem veneratus veneratur suam ut quam illius partem praestantissimam esse persuasum habeat. In hac ille altitudine positus *αὐταρκείας* et in se solum conversus quid tandem curet sive deos quos vires naturales esse sciat sive homines quos aut contemnat ut stultos et prorsus abjectos aut et ipsos in sese singulos conversos esse videat?

Diu autem observatum est Stoicos lege illa communi s. *τῷ κοινῷ νόμῳ* ad morum disciplinam deducendam neque esse usos neque potuisse uti. Immo et prorsus necesse fuit et ex ea de qua modo dixi doctrina physica convenienter fieri visum est ut ad humanam naturam explorandam procederent! Jam autem ne quis opinetur de hac vera statuere posse etiam eum qui de universa parum vera statuerit; e contrario enim eodem errore utramque partem laborare reperiemus, sive eum manasse statuas ex ea quam de humana sive ex ea quam de universa natura opinionem induissent. Equidem Stoicos in

disputatione quidem ab universa, in cogitatione vero ab humana natura profectos esse arbitror.

Errorem igitur Stoicorum ut jam supra significavi eum fuisse censeo quod in hominis natura describenda rationalem ejus partem solam et separatam spectarunt. Quam superiores et ipsi jam fecissent inter rationalem et irrationalem animi partem oppositionem, eam Stoici ad summam asperitatem exaggerarunt. Quaeramus enim illius ex qua sola naturam interpretantur rationis quae sit vis et potestas. Non ab initio in animo viget; multa transit aetas donec dispiciat; neque igitur ulla hominis donec hoc fiat honesta actio esse potest; simulatque vero dispexit, regnat et perfecte regnat et omnem per vitam aequaliter regnat. Crescere ab hac virtute alienum, qua aut uteris aut non uteris, aut sapiens aut stultus. At hic natura hominis illa ipsa quam sequi propositum fuisset spretam sese clamabit si hoc sublatum sit ut ab initio crescat, vires exerceat et explanet, et ad vitae exitum magis magisque ad perfectionem sui tendat. Stoici ex una intelligentia virtutem ducentes cetera naturae elementa in servitutem redegerunt, parum animadvertentes aliam in animo vim inesse e qua ut omnia naturae elementa conciliarentur principium virtutis repeti deberet. Quam autem eam vim esse dicemus? Voluntatem. Voluntas a Stoicis tantum ad formalem quam philosophi vocant liberae susceptionis vim accipitur, revera ipsa vel virtutum vel vitiorum semina in se continet quamque illi ad rationis imperium restringunt ea profecto totam naturam complectitur. Haec tum in singulis malam rationalis et irrationalis animi partium discordiam conciliat — prior enim et major regnat utraque — tum in universis immanem et superbam sapientium et stultorum discriminationem tollit; valet enim in omnibus. A voluntate omnem quae sana esse velit

morum disciplinam proficisci debere censemus. Qui autem a Socrate profecti sunt philosophi, ii omnes nimium tribuerunt ei virtutis parti qua intelligentia sive ratione sive scientia constat. Quo de errore non minus vere quam ingeniose nostras Jean-Paulus quodam loco scribit: „Nicht die Vernunft (d. h. das Gewissen) macht uns gut, sie ist der ausgestreckte hölzerne Arm am Wege der Tugend; aber dieser Arm kann uns weder hintragen noch hindrängen — die Vernunft hat die gesetzgebende, nicht die ausübende Gewalt. — Die Kraft diese Befehle, die noch grössere sich ihnen zu ergeben, ist ein zweites Gewissen neben dem ersten. — — Wäre die Tugend nichts als Stoicismus, so wäre sie ein Kind der Vernunft, deren Pflegetochter sie höchstens ist; der Stoicismus stellt die Tugend so nützlich, so vernünftig dar, dass sie nichts weiter ist als ein Schluss; man hat bei ihr nichts zu überwinden als Irrthümer."

Hic quam rationi sociam accedere oportere censet vim amandi, ea profecto et voluntatis veritas est (efficit enim ut non quae nobis sed quae ceteris prosint petamus) et sola rationi eam vim addere posse videtur ut quod supra postulavimus in motum et flumen transeat. At illa a Stoico sapiente quam longinque abest! Scilicet quum vita hominum ut tum erat dissoluta est, tum singuli a communitate aversi ad sua et privata se recipiunt. Qualis autem vita talis quum omnis doctrinae tum ethicae erit vis et indoles. Cui enim hoc propositum sit ut vitae imaginem quandam describat ea quum vita mortua est tum ne ipsa quidem vegeta et fecunda esse poterit. His igitur causis factum videtur ut ratio illa Stoicorum quamvis alte supra cetera elata et paradoxorum istorum ope tanquam in arce sua munita et obvallata nihilominus in suis copiis non inveniret semina e quibus omnis virtutum va-

rietas gigneretur actionumque principia ab altera animi parte qua in se totus conversus homo est accipere cogeretur. Itaque redacta est ad appetitionum perturbationumque castigationem et ad prava animorum elementa perpetuo labore et contentione coercenda.

Postremo juvat totum discrimen ad tempora quae tum fuerunt philosophiae referre. Philosophorum enim divinorum Platonis et Aristotelis meritis quid profecerit philosophia si uno verbo dicendum sit hoc jure dicas quod invenerit et cognoverit ideam h. e. naturam et finem generis humani. Ea igitur cognitio quantum omnino antiquae aetati concessum fuit adulta et perfecta hoc proximum habuit quo pergeret ut in veritatem transiret sive ut idea generis reapse a singulis sustineretur et tanquam specie exprimeretur. Rursus philosophia idque alio sensu atque quo de Socrate dicitur in hominum vitam et consuetudinem descendit. At ecce ingens oritur discordia. Duas enim sectas exsistere vides pariter illud munus suscipientes at inter se prorsus oppositas. Pariter utraque sapientis imaginem describit imitandamque proponit; quippe ea ipsa id continetur quod tempora desiderarunt, idea generis habitans in uno; at duae imagines quantopere diversae! Diripi putares naturam humanam. Scilicet apparuit non conciliata prisca pectoris humani discordia duarum partium, rationis et sensus; e ratione alteri, alteri e sensu naturam totam interpretantur; apparuitque simul ad naturam generis humani restituendam philosophorum sapientiae nova vitae fermenta accedere debere.

Nihilominus Stoicorum disciplina in temporibus non dico perditis at ruentibus munus sustinuit magnum et dignum. Meliorem naturae partem divinioremque fortiter tueri conata est; rigidam et duram vitia quae impugnarentur, sterilem et

frigidam temporum quibus viverent miseriae fecisse videntur. Regenerare animos non valuit, sed purgavit ab appetitionum turpitudine et ad altiora directos praeparavit ad novam aetatem quae mox e principiis vere vitalibus prodiit quum discordiam priscam componeret ille in quo revera ideam generis ab amore divino monstratam gentes veneratae sunt, unicus naturae humanae restitutor et liberator. Quamobrem de Stoae dignitate verissime idem quem supra laudavi Jean-Paulus: „Gleichwohl thut der Stoicismus der Tugend wie die Kritik dem Genie negative Dienste — die stoische Erkältung treibt keinen Frühling heraus, aber sie richtet die Insecten hin, die ihn zernagen — der stoische Winter nimmt wie der physische die Pest hinweg, ehe die wärmeren Monate kommen die neues Leben bringen."
